DE XENOPHONTIS LIBELLO QUI ΠΟΡΟΙ INSCRIBITUR.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS
DIE IV. M. FEBRUARII A. MDCCCLXXIV
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

THEODORUS GLEINIGER
POSNANIENSIS.

ADVERSARII ERUNT:
TH. MUENCHENBERG, STUD. PHIL.
C. ROTHE, STUD. PHIL.

HALIS SAXONUM.
[1874]

HERMANNO POLTE

IOANNI RICHTER

PRAECEPTORIBUS CARISSIMIS

D. D. D.

PARS I.

Cap. I.

In huiusmodi autem quaestione, qualem nunc suscepi, primum arbitror id videndum esse testesne veteres adhibere possimus quantaque illis sit fides habenda. At fortunae iniquitate accidit ut ii nos deficiant. Qui quidem libellum laudant nil momenti quod sit adferunt.

Laudat libellum Menander (*περ. ἐπιδ.* in Walz. Rhett. Graec. IX. p. 161, 2) rhetor pereruditus: *εἰ δὲ νήσῳ . . . . . . Ξενοφῶν ἐν τοῖς Πόροις τοῖς τῆς Ἀττικῆς.* (cf. I. 7). Athenaeus (VI. p. 272. C.): *ἐν τῷ περὶ πόρων.* Diogenes Laërtius (Vit. Xenoph. s. 13. II. 57): *συνέγραφε . . . . . . καὶ περὶ πόρων.* Deinde de *ὀφειλή* vocabulo, quod ut Xenophonteum falso citatur, cf. L. Dindorfii praef. ad vect. p. 19. Nihil aliud ex his discimus nisi illorum temporibus fuisse aliquem libellum et eundem quidem, ut videtur, quem nos habemus, *πόροι* inscriptum, qui inter Xenophonteos numerabatur. Sed aliud quid addere hoc loco mihi liceat, etsi certi quidquam ex eo elici posse subdiffido.

David quidem Schulzius (Dissert. de epilog. Cyrop.) iam pridem epilogum Cyropaediae ante Olymp. 112. 3 ab homine adiectum esse suo iure (Dind. Cyrop. praef.) contendit, qui complura congessisset, quae et in Cyropaedia ipsa et in Expeditione Cyri et in Commentariis et in Convivio invenisset. Cum vero communia

habeat nonnulla etiam cum vectig., veri non absimile puto ea ab compilatore illo, qui vocatur, ex hoc libello ut ex Xenophonteo iam ante Ol. 112. 3 (a. 329) hausta esse. Nihil dico de verbis epilogi § 21 et 27: *ὄφελός γε οὐδὲν αὐτῶν ..... δηλοῖ δὲ καὶ αὐτὰ τὰ γιγνόμενα* et *τὰ ἔργα μαρτυροῦντα τοῖς λόγοις,* quibus similia sunt: *ἢ μηδὲν ὄφελος αὐτῶν εἶναι* (*πόρ.* IV. 35) et *τὰ νῦν δὲ γιγνόμενα πάντα μαρτυρεῖ* (ib. § 26); neque de Cyr. VIII. 8. 9: *οἱ πρῳαίτατα ἀριστῶντες ..... οἱ ὀψιαίτατα κοιμώμενοι,* quod praeter Hell. IV. 5. 18: *ὀψιαίτατα κατήγετο ..... πρῳαίτατα ἐξωρμᾶτο,* tantum in vect. I. 1 invenitur: *πρῳαίτατα μὲν ἄρχεται, ὀψιαίτατα δὲ λήγει.* Totum autem enuntiatum Cyr. VIII. 8. 5: *ὁποῖοί τινες γὰρ ἂν οἱ προστάται ὦσι, τοιοῦτοι καὶ οἱ ὑπ' αὐτοὺς ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ γίγνονται,* cum paene idem sit quod vect. I. 1: *ὁποῖοί τινες ἂν οἱ προστάται ὦσι, τοιαύτας καὶ τὰς πολιτείας γίγνεσθαι,* et Xenophon eandem sententiam alibi aliter exprimat, (ut Cyr. VIII. 1. 8) compilatorem illa ex hoc libello ut ex Xenophonteo et quidem ante Ol. 112. 3 hausisse sumere possumus. Neque enim quidquam est, cur, etsi libellus non male a verbis *ἐπεὶ τῶν Ἀθήνησι προεστηκότων* inciperet, verba illa *ἐγὼ μὲν .... γίγνεσθαι* recentioribus temporibus addita esse dicamus. At erunt qui haec non satis valere contendant, ita ut unicus remaneat testis ipse libellus: qui quidem, quoniam Xenophontis scripta codicibus non pervetustis, sed saeculi fere decimi quarti servata et ut describentium temeritate corrupta ita a magistris saeculi fere secundi a. Chr. n. et additamentis aucta et abbreviatio-

nibus contracta sunt, quam diligentissime cautissimeque inquirendus est.

Quaerendum autem primum videtur, quo anno aut quo temporis spatio libellum compositum esse statuamus; deinde utrum Xenophon eo tempore in vita fuerit necne.

Iam satis multa argumenta Boeckhius (Oecon. Civit. lib. II.), ut libellum diu post bellum Peloponnesiacum ostenderet scriptum esse attulit; quae, quoniam hac aetate nemo de hac re ambigit, neque augere neque repetere omnia opus est. Sed ex c. IV. 25 accuratiora posse effici arbitror: *μαρτυρήσαιεν ἄν μοι εἴ τινες ἔτι εἰσὶ τῶν μεμνημένων ὅσον τὸ τέλος εὕρισκε τῶν ἀνδραπόδων πρὸ τῶν ἐν Δεκελείᾳ*; quae extrema verba ad a. 413 spectare iam Zeunius perspexit. Dubius haerebat scriptor essentne etiamtunc, cum illud scriberet, in vita qui illa tempora vidissent. Quos si sumimus tunc nonagenarios fuisse, illis autem temporibus puerulos sive adulescentulos, ante a. 340 confectum esse libellum efficitur, sin septuagenarios post a. 365: hoc igitur viginti fere annorum spatio sine ulla dubitatione conscriptus est. Neque enim oportet post a. 340 scriptum esse opusculum sumere, quamvis Isocratem a. 413 viginti quinque annos natum fuisse et post a. 340 biennium etiam vixisse notum et Aristophontem (Schaef. Dem. I. p. 162), qui paucis annis ante Peloponnesiacum bellum natus erat, centum fere annos complevisse, verisimillimum sit. Etenim ipse ille Isocrates in oratione, quam iam paullo ante bellum sociale confectum scripsisse eum persuasum habeo (or. VIII. de pace), ita

loquitur ac si nemo eorum, qui tum in vita fuerunt, viveret. Cf. porro Dem. or. XXII. 15. At cavendum ne talia nimis diligenter urgeamus. Certiora igitur inquiramus argumenta. Haec praebet c. V. 6. *ἐπεὶ τοῦ ἀδικεῖν ἀπεσχόμεθα πάλιν ὑπὸ τῶν νησιωτῶν ἑκόντων προστάται τοῦ ναυτικοῦ ἐγενόμεθα.* Alterum illud imperium indicat, quod Athenienses inde ab Ol. 100. 3 obtinebant. Nam id imperium quod antecesserat (Ol. 96. 2—98. 2) minus beneficiis quam vi pararant et minus propter iniurias quam vi coacti amiserant. At imperium, quod significavi antea, beneficiis imprimis Timothei recuperaverant. Cf. Diodor. XIV. 30. Grot. hist. Graec. X. 152ⁿ. Dem. Androt. 72.

Praeterea verba c. V. 7: *οὐκοῦν καὶ Θηβαῖοι εὐεργετούμενοι ἡγεμονεύειν αὐτῶν ἔδωκαν Ἀθηναίοις;* referri non possunt ad Ol. 96. 2, quo anno foedus inter Athenienses et Argivos et Corinthios et Boeotos ictum est: nam certe hic non solos Thebanos nominaret; sed paullo ante pugnam Leuctricam propter beneficia imperium iis concesserant. Pergit scriptor: *ἀλλὰ μὴν καὶ Λακεδαιμόνιοι οὐ βιασθέντες ὑφ' ἡμῶν ἀλλ' εὖ πάσχοντες ἐπέτρεψαν Ἀθηναίοις περὶ τῆς ἡγεμονίας θέσθαι ὅπως βούλοιντο,* quae res ad ea spectat tempora, quibus Athenienses Lacedaemoniis contra Thebanos victoria illa Leuctrica subnixos auxilio venerunt (Ol. 102. 3 et 4). Et post amissum hoc alterum quoque imperium libellus confectus est. Nam legimus c. V. 5: *τὴν ἡγεμονίαν ἀναλαβεῖν* et § 8 *ἀνακτᾶσθαι τοὺς Ἕλληνας.* Athenienses enim cum clementer paucos annos sociorum rebus administratis iterum in imperium se in-

flecterent iniustius suspicionem excitabant bellique socialis, quod a. 358 vel 357 erupit, semina iaciebant, cuius fine imperium iterum amiserunt. Iam igitur pro certo exploratoque habeamus libellum post bellum sociale, quod aestate anni 355 compositum est, scriptum esse.

Cap. II.

Constat vero inter omnes opusculum post aliquam nescio quam pacem ab Atheniensibus ictam scriptum esse. cf. c. IV. 40 et V. 12; sub finem igitur anni alicuius quo bellum aliquod mari vel terra marique est gestum confectum est; nec vero continuo post pacem factam, sed aliquo intervallo intermisso, ut facile ex verbis illis intellegitur. Summa autem inter doctos contentio est, quaenam pax intellegenda sit. Namque intra spatium annorum 355—340 bis ab Atheniensibus pax inita est, primum cum sociis Ol. 106. 1, tum cum Philippo Ol. 108. 2. Atque equidem, ut iudicium meum praemittam, pugnis unguibus calcibus defendo, pacem quae cum sociis composita est significari. Quod meum iudicium priusquam argumentis gravissimis et plurimis tamquam fulcire ac munire animum inducam, quod Hermannus Hagenius statuit (in Ephem. Eos dicta II. 149—163), pacem quae in c. IV. 40 commemoratur cum Philippo factam esse, quae in c. V. 12 cum sociis, in disceptationem vocandum mihi esse arbitror. Quo facilius E. Curtium, qui in hist. Graec. lib. III. p. 779 haec: „Meine ansicht fand ich bestätigt von Hagen;

dadurch erledigen sich die hypothesen von Cobet (Mnem. 7. 409)" assentientem habebo. Hoc quidem L. Dindorfium (praef. ad Xen. script. min. p. XVIII.) recte iudicasse arbitror eiusdem pacis in c. V. 12 cuius in c. IV. 40 mentionem fieri. Fac enim pacem quae in c. IV. 40 laudatur esse Philocrateam. Nonne mirum esset, si in c. V. 12 et aliud bellum (*διὰ μὲν τὸν πόλεμον, ἐν τῷ νῦν χρόνῳ*) et aliam pacem neque eam quae coagmentata proxume et cuius paullo ante mentio facta esset, indicari putandum esset? Quis tandem, quaeso, si anno 346 verba audisset haec c. V. 12: *καὶ ἐν τῷ νῦν χρόνῳ διὰ μὲν τὸν πόλεμον καὶ τῶν προςόδων ...... καταδαπανηθείσας*, de bello sociali, ut vult Hagenius, cogitasset? Si bello cum Philippo gesto (c. V. 12) reditus multi deficiebant, nemo nisi insanus propter pacem cum sociis factam reditus augeri dicere poterat, sed propter pacem cum Philippo factam.

Sed redeat oratio unde aberravit; ostendaturque pace illa (c. V. 12 et IV. 40) bellum sociale compositum esse. Praemittendum vero est confectum eo consilio esse libellum, ut civitatis reditus augerentur. cf. c. I. 1. Capite altero cultum inquilinorum commendat. cf. § 1 et § 7. C. III commercio aucto reditus quoque crescere exponit; cf. §§ 5. 6. 13. Tum c. IV. 40 de argentifodinis: *ταῦτα λαμβάνοντες κατασκευάσασθε ὡς ἂν πλεῖσται πρόςοδοι γίγνοιντο.* C. vero V. imprimis pacem esse servandam iudicat; aliter reditus crescere vix posse. Huiusmodi vero consiliis Atheniensibus opus fuisse praecipue post bellum sociale nemo est qui ignoret. Etenim iam ante id bellum multa in aliis

bellis consumpserant: adiuverant et Lacedaemonios et Arcades et Euboeae incolas contra Thebanos, pugnaverant saepe frustra et in Thracia et Cercyrae et de Potidaea et aliis in regionibus. Bello denique sociali (v. O. Schneider. Isocr. VII. 9) nequiquam multa talenta consumpta sunt. Demosthenes (or. III. 27) quidem in oratione ante Olynthum a Philippo expugnatam habita *πλείω δ' ἢ χίλια,* inquit, *καὶ πεντακόσια τάλαντα ἀνηλώκαμεν εἰς οὐδὲν δέον.* Porro ante bellum sociale *συντάξεις* a sociis Atheniensibus solvebantur, bello autem ipso insulani ii qui desciverant eorum terras qui ab Atheniensium partibus stabant, populabantur, ita ut Athenienses, cum multa consumerent, pauca lucrarentur inopiaque commercio etiam propter maria turbata comminuto incredibilis esset. Idcirco multae tum leges quibus hae tollerentur calamitates latae sunt. Ita post Periandri legem (Ol. 105. 3) de symmoriis latam Androtio, quem vehementer Demosthenes (a. 355) increpuit, aerarium quoquo modo augere conabatur. cf. or. in Andr. §§ 44. 48 sqq. 62. 77. Ad quas res omnes Androtio Timocratem (cf. Dem. Tim. §§ 162. 169. 197 sq.) adiutorem habuit. De Aristophontis autem legibus (ibid. § 11) haec traduntur: *ἑλέσθαι ζητητάς, εἰ δέ τις οἶδέ τινα τῶν ἱερῶν ἢ τῶν ὁσίων χρημάτων ἔχοντά τι τῆς πόλεως, μηνύειν πρὸς τούτους.* Praeterea suscepit talia in se Leptines (v. Schaef. Dem. I. 354); cui, cum Ol. 106. 2. legem de *ἀτελείᾳ* plane tollenda rogasset (v. Schaef. I. 158 sq.), contra dixit Demosthenes, qui et ipse paullo post legem de symmoriis tulit. Permulta vero inopiae Atheniensium testimonia praebent

Isocratis orationes eae, quae illo tempore scriptae sunt, Symmachicus qui dicitur et Areopagiticus (or. VIII et VII); quarum ut alteram paullo ante bellum sociale compositum ita alteram paullo post confectas esse persuasum mihi est. Ille igitur hoc modo (or. VIII. 19): *εἰ τὰ περὶ τὸν βίον εὐπορώτεροι γιγνοίμεθα . . . . . . ὁ γὰρ πόλεμος πενεστέρους ἐποίησεν ἡμᾶς.* § 20: *καθ' ἑκάστην δὲ ἡμέραν πρὸς εὐπορίαν ἐπιδώσομεν.* cf. §§ 47. 69. 127 sqq. Similiter rerum statum paullo post bellum Isocrates describit (or. VII. 8 sq.): *οἵτινες ἁπάσας μὲν τὰς πόλεις τὰς ἐπὶ Θρᾴκης ἀπολωλεκότες πλείω δ' ἢ χίλια τάλαντα μάτην εἰς τοὺς ξένους ἀνηλωκότες, τοὺς δ' ἡμετέρους αὐτῶν συμμάχους ἀπολωλεκότες . . . . .* Tum (§ 54): *ὅταν ἴδῃ πολλοὺς τῶν πολιτῶν αὐτοὺς μὲν περὶ τῶν ἀναγκαίων εἰθ' ἕξουσιν εἴθε μὴ πρὸ τῶν δικαστηρίων κληρουμένους.* Sed quid plura? Demosthenem iam adeamus; qui in oratione, quae (Ol. 106. 2) habita pro Ctesippo est (or. XX. 24), *δεινὸν,* inquit, *εἰ ἐν κοινῷ μὲν μηδ' ὁτιοῦν ὑπάρχει τῇ πόλει* et § 25: *εὔχομαι τοῖς θεοῖς μάλιστα ἡμῖν χρήματα πολλὰ γενήσεσθαι* et euphemismo qui vocatur usus § 115: *τότε μὲν ἡ πόλις ἡμῶν καὶ γῆς εὐπόρει καὶ χρημάτων· νῦν δ' εὐπορήσει;* quocum cf. Vect. VI. 1: *ὁ δῆμος εὐπορήσει.*

Itaque quoniam satis constat et multorum consiliis multis legibusque de inopia levanda et scriptorum testimoniis Atheniensium aerarium penitus tunc temporis exhaustum fuisse, ab hac quidem parte nil obstat, quominus libellum paullo post belli socialis finem confectum esse affirmemus. Nam praeterquam quod de eadem re

auctor libelli consilia praebet, diserte (c. IV. 40) Atheniensium summam egestatem significat: *εἰ δ' αὖ διὰ τὰς ἐν τῷ νῦν πολέμῳ γεγενημένας εἰςφορὰς νομίζετ' ἂν μηδ' ὁτιοῦν δύνασθαι εἰςἐνεγκεῖν* et: *διὰ μὲν τὸν πόλεμον τῶν προςόδων πολλὰς ἐκλιπούσας καὶ τὰς εἰςελθούσας εἰς παντοδαπὰ καταδαπανηθείσας.* Quae omnia optime cum iis conveniunt, quae supra citavi (imprimis cum Dem. or. XX. 24) et cum Demosthenis oratione XIV. 27, quae Ol. 106. 3 habita est: *ὅσα γὰρ νυνὶ πορίσαιτ' ἄν, εἰ προέλοισθε πορίζειν, πλείων ἐστὶ γέλως τοῦ μηδενός.*

Tam inopes Athenienses ante pacem a. 346 ne potuerunt quidem esse. Maria enim minus inquieta erant commerciumque minus impeditum; socii autem etsi non multa stipendia tamen nonnulla solvebant et cum Philippo tantum bella non gravissima eaque minus mari quam terra gesserant ita ut illud: *ἐπεὶ δ' εἰρήνη κατὰ θάλατταν γεγένηται* (c. V. 12) belli socialis finem potius quam pacem Philocrateam indicet caputque IV. 40, siquidem recte supra disputavi, ad idem tempus sit referendum. Nec vero a. 346 aut paullo postea tot consilia de reditibus augendis data videmus. Etenim intra spatium annorum 355—346 maximam in partem pace fruebantur Athenienses commercioque post bellum sociale aucto ditiores fiebant. Methonen quidem adortus Philippus diruit Atheniensibus re iam perfecta, ut solebant, venientibus; Thermopylas (Ol. 106. 4) navibus Diophanta duce missis servarunt, Olynthios denique tribus expeditionibus factis frustra (Ol. 107. 4 et 108. 1) adiuverant. Attamen Ol. 108. 2 exitu minus vi aut

necessitate coacti quam proditi pacem inierunt; quid quod paucis diebus post aegerrime tulerunt, quod Phocensibus non opitulati essent nec bellum contra Philippum persecuti? Inopia igitur a. 346 non tanta videtur fuisse quanta in vect. describitur. Demosthenes (or. XIX. 89) quidem legatos *παραπρεσβείας* a. 346 accusans Aeschinem haec dicentem facere potuit: *οὐ τριήρεις τριακοσίας καὶ σκεύη ταύταις καὶ χρήμαθ' ὑμῖν περίεστι καὶ περιέσται διὰ τὴν εἰρήνην; πρὸς δὴ ταῦτα* sqq.

Commercium vero, ut supra dixi, post bellum sociale nova cepit incrementa, antea neglectum iacuit. Quod cum ita sit, statim post illam pacem consentaneum est talia necessaria fuisse consilia, qualia legimus in c. III, ubi cum alia suadet tum cives adhortatur, ut lites inter mercatores exortas celerius componant. Tum igitur *δίκαι ἔμμηνοι*, quas vocant nondum fuere, quae post pugnam ad Chaeroneam factam ita laudantur, ut diu iam institutas fuisse credas (Dem. in Apatur. § 23); eaedem laudantur in oratione, quae iam ante illam Philippi victoriam a. 340 habita est (in Lacrit. § 46 sq.). Sed iam Ol. 109. 2 (342) huius iudiciorum generis testis est auctor orationis de Halonneso (or. VII inter Demosthenicas § 11 sqq.): *καὶ ἐμπορικαὶ δίκαι οὐκ ἦσαν ὥσπερ νῦν ἀκριβεῖς αἱ κατὰ μῆνα* . . . . . (v. Boeckh. Oec. civ. I. p. 72). Comparat scriptor quae ante Philippum acciderunt cum Philippi temporibus, videnturque illa iudicia non demum Ol. 108. 3 aut 4 aut 109. 1 instituta esse, sed pluribus, opinor, ante Ol. 109. 2 annis, quo tempore haec ille attingit. Auctor vero huius libelli, de quo disputatio est, certe horum iudi-

ciorum genus nondum novit. Parum autem consentaneum est, si vect. Ol. 108. 2 fine confecta sunt, Ol. 109. 2 dici iam diu id genus exerceri. Sane multo melius convenit, si vect. Ol. 106. 1 scripta esse statuimus, ita ut Athenienses huius scriptoris videantur secuti esse consilium. Sed quid plura de his? Ad alia igitur transeamus. — Ante finem belli socialis opes ad dies festos splendidissime celebrandos non praesto erant; pace autem Eubulo auctore facta commercioque aucto reditus crescebant, ita ut iam inde ab Ol. 106. 3 in abundantia quadam Athenienses versarentur. v. Harpocrat. s. v. *θεωρικά* et s. v. *Εὔβουλος*. Cf. porro Athenae IV. 166 D. E. et Just. hist. Phil. epit. VI. 9. Libanius denique (praef. ad Dem. orr. Olynth. p. 8): *ἁπλῶς τὰ δημόσια χρήματα διενέμοντο· ὅθεν καὶ περὶ τὰς στρατείας ὀκνηροὶ κατέστησαν. πάλαι μὲν γὰρ στρατενόμενοι μισθὸν παρὰ τῆς πόλεως ἐλάμβανον, τότε δ' ἐν ταῖς θεωρίαις καὶ ταῖς ἑορταῖς οἴκοι μένοντες διενέμοντο τὰ χρήματα. οὐκέτι οὖν ἤθελον ἐξιέναι καὶ κινδυνεύειν, ἀλλὰ καὶ νόμον ἔθεντο περὶ τῶν θεωρικῶν τούτων χρημάτων, θάνατον* (Ol. 107. 3. cf. Schaef. Dem. II. 77) *ἀπειλοῦντα τῷ γράψαντι μετατεθῆναι ταῦτα εἰς τὴν ἀρχαίαν τάξιν καὶ γενέσθαι στρατιωτικά.* Talia igitur compluribus ante Ol. 108. 2. annis usu venerant (v. Westerm. ad Dem. Ol. III. 11). Quocirca mihi quidem post pacem Philocrateam nemo videtur ea, quae legimus c. VI. 1, dicere potuisse: *ὁ μὲν δῆμος τροφῆς εὐπορήσει . . . . . περιουσίας δὲ πολλῆς γενομένης μεγαλοπρεπέστερον μὲν ἔτι ἢ νῦν ἑορτὰς ἄξομεν.* Demosthenes quidem iam Ol. 107. 1 vehementer luxuriam

illam vituperat (or. IV. 35): *τὴν τῶν Παναθηναίων ἑορτὴν καὶ τὴν τῶν Διονυσίων ....., εἰς ἃ τοσαῦτ' ἀναλίσκετε χρήματα, ὅσα οὐδ' εἰς ἕνα τῶν ἀποστόλων καὶ τοσοῦτον ὄχλον καὶ παρασκευήν, ὅσην οὐκ οἶδ' εἴ τι τῶν ἁπάντων ἔχει.* Itaque quamquam fuit Ol. 108. 2 impendiis debilitatus ob publicas calamitates populus, tamen ad illam rem tum opes non defuerunt. Omnia vero optime cadunt in Ol. 106. 1: studium quidem dierum festorum magnifice celebrandorum iam ante Ol. 106. 2 fuit; (v. Dem. Lept. §§ 18—28) pecunia autem deficiebat. Rectissime igitur scriptor: *μεγαλοπρεπέστερον* ..... anno 355 dixit.

Propter haec emolumenta, quibus cives fruebantur et ob commercia sublevata auctaque, quarum rerum origo ab annis bellum sociale insequentibus petenda est, multi Athenas transmigrabant multique ut beneficiorum publicorum, quae imprimis post bellum sociale dividebantur, participes fierent, cives sese esse simulabant (v. Schaef. Dem. I. 177 sq. II. 289). Ob hanc potissimum caussam multa nomina eorum, qui cives sese esse contendebant, *ἐπ' Ἀρχίου ἄρχοντος* Ol. 108. 3 (346) oblita sunt (cf. Androt. fr. 133. Philochor. VI[b]. Harpocr. s. v. *διαψήφισις*). Multa de hac re (Ol. 108. 3; v. Schaef. Dem. II. 316. 1) exposuit Aeschines or. I. 86—88 c. schol.; § 114; et brevius § 77: *γεγόνασι διαψηφίσεις ἐν τοῖς δήμοις καὶ ἕκαστος ὑμῶν ψῆφον δέδωκε περὶ τοῦ σώματος, ὅστις Ἀθηναῖος ὄντως ἐστὶ καὶ ὅστις μή* (cf. etiam or. II. 182). Quibus ex rebus intellegendum est iam ante pacem Philocrateam multos fuisse Athenis inquilinos, multos Athenas peregrinos

ventitasse. Quis vero eo tempore tam stultus tamque agrestis fuisset, ut statim post pacem illam haec diceret (Vect. II. 6 sq.): *πολὺ ἂν καὶ διὰ ταῦτα πλείους τε καὶ βελτίους ὀρέγεσθαι τῆς Ἀθήνησιν οἰκήσεως* et (§ 7): *εἰ τούτοις τιμή τις ἐπείη οἵτινες πλείους μετοίκους ἀποδείξειαν ...... πάντες ἂν οἱ ἀπόλιδες τῆς Ἀθήνηθεν μετοικίας ὀρέγοιντο καὶ τὰς προςόδους ἂν αὔξοιεν;* porro c. IV. 41 sq. et 49 sq.? At post bellum sociale si scriptum confectum esse concedimus, omnia plana sunt. Comparemus quid Isocrates de his rebus eo ipso tempore existimaverit (or. VIII. 20 sq.): *ἀδεῶς δὲ γεωργοῦντες καὶ τὴν θάλατταν πλέοντες καὶ ταῖς ἄλλαις ἐργασίαις ἐπιχειροῦντες, αἳ νῦν διὰ τὸν πόλεμον ἐκλελοίπασιν. ὀψόμεθα δὲ τὴν πόλιν διπλασίας μὲν ἢ νῦν τὰς προςόδους λαμβάνουσαν, μεστὴν δὲ γιγνομένην ἐμπόρων καὶ ξένων καὶ μετοίκων ὧν νῦν ἐρήμη καθέστηκεν.* Similiter vect. II. 6: *ἐπειδὴ καὶ πολλὰ οἰκιῶν ἔρημά ἐστιν ἐντὸς τῶν τειχῶν καὶ οἰκόπεδα.* Jam certum esse credo libellum, praesertim cum Isocrates eo tempore etiam reditus comminutos et agriculturam neglectam, id quod plane huius libelli capiti primo respondet, commemoret, non post bellum cum Macedonibus gestum, sed post sociale bellum scriptum putandum esse.

Ille quod *γεωργίας* mentionem incoavit, monet me ut dicam pauca de capitis IV. § 9: *Ὅταν τ' αὖ νοσήσωσι πόλεις ἢ ἀφορίαις καρπῶν ἢ πολέμῳ, ἔτι καὶ πολὺ μᾶλλον ἀργοῦ τῆς γῆς γιγνομένης καὶ εἰς ἐπιτήδεια καὶ εἰς ἐπικούρους νομίσματος δέονται.* Quae quidem sententia per se et a. 355 et a. 346 laudari optume potuit

et semper potest. Potissimum vero talia animos tum commovent, cum in gravi bello aut annonae caritate versamur aut vix liberati sumus. Quod si verum est hac quoque ex parte librum potius a. 355 quam a. 346 adscripserim. Nam bellum sociale inopia ac necessitate coacti composuere, non bellum cum Philippo gestum et annonae caritas antecesserat non pacem Philocrateam, sed pacem, quae Eubulo suadente coagmentata est: maxime igitur a. 355 Athenienses experti erant, quantam vim haberet ad utilitatem salutemque, si cui opes divitiaeque essent. Annonae tum caritatem per omnes terras fuisse Strabo (VII. p. 311) testatur: *Λεύκωνα δέ φασιν ἐκ τῆς Θευδοσίας Ἀθηναίοις πέμψαι μυριάδας μεδίμνων διακοσίας καὶ δέκα*; quae eadem *σιτοπομπία* fuisse videtur, quam Ol. 106. 2 Demosthenes (or. Lept. 33) laudat: *προπέρυσιν σιτοδείας παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις γενομένης οὐ μόνον ὑμῖν ἱκανὸν σῖτον ἀπέστειλεν* sqq. Conferamus nunc verba Isocratis (or. VIII. 20) haec, quibus pace facta tutiores cives futuros esse exponit: *μετὰ πολλῆς μὲν ἀσφαλείας οἰκήσομεν τὴν πόλιν* cum libelli c. VI. 1: *ἀσφαλέστερον δὲ οἰκήσομεν...... ἵνα ἔτι ἐφ' ἡμῶν ἐπίδωμεν τὴν πόλιν μετ' ἀσφαλείας εὐδαιμονοῦσαν.* Nonne haec eodem fere tempore videntur scripta esse?

Vidimus igitur et propter summam egestatem et propter consilia data, quae eo pertinent, de commercio sublevando et de inquilinis mercatoribus peregrinis alliciendis et de agris colendis denique propter tantam illam similitudinem, quam passim iam animadvertimus et postea saepius attingemus, huius libelli et Sym-

machici Isocratis, hunc ad idem quo ille tempus referendum esse, non post bellum cum Macedonibus gestum, sed post pacem Eubulo auctore initam. Fortasse scriptor Symmachico paullo ante illam pacem confecto, ut equidem arbitror, usus est. Quod si statuimus lumen accedit c. IV. 50: σύμφημι ἐγὼ οὐ μόνον sqq.

Iam vero alia proferenda videntur argumenta, quibus non minus certe a. 355 scriptum esse libellum evinci sentio: dico hoc loco et de muris Athenarum et de rebus navalibus.

Athenienses cum ante Ol. 108. 2 cum Philippo de pace agere coepissent, continuo omnes de bello cogitationes abiecerunt (v. Dem. XVIII. 26) eaque susceperunt negotia, quae, etsi iam diu perficere opus fuerat, tamen, quia minus ad bellum extra Atticam gerendum pertinebant, propter bellum perficere noluerant. Propterea iam inde ab Ol. 108. 2 εἰςφορὰ decem talentum et a civibus et ab inquilinis exigebatur, ut et numerum νεωσοίκων augerent et σκευοθήκην aedificarent (cf. Boeckh. d. re nav. p. 67 sqq. Oec. civ. I. 620). Eubulus dignus visus est qui his rebus praeesset. Iuvat hoc loco eam inscriptionem, quam Ernestus Curtius (de portub. Athen. p. 46) adfert, non neglectam praetermittere:

(ΕΠ)ΕΙΔΗ ΝΙΚΑΝΔΡΟΣ ΑΝΤΙΦΑΝΟΥΣ ΙΛΙΕΥΣ ΚΑΙ ΠΟΛΥΖ(Η)
(Λ)ΟΣ ΑΠΟΛΛΟΦΑΝΟΥΣ ΕΦΕΣΙΟΣ ΔΙΑΤΕΤΕΛΕΥΚΑΣΙΝ ΕΝ(Π)
ΑΝΤΙ ΤΩΙ ΚΑΙΡΩΙ ΕΥΝΟΙ ΟΝΤΕΣ ΤΩΙ ΔΗΜΩΙ ΤΩΙ ΑΘΗ(Ν)
ΑΙΩΝ ΚΑΙ ΚΑΤΟΙΚΟΥΝΤΕΣ ΑΘΗΝΗΣΙΝ ΕΙΣ ΠΟΛΛΑ ΤΩΝ(Σ)
ΥΜΦΕΡΟΝΤΩΝ ΤΩΙ ΔΗΜΩΙ ΧΡΗΣΙΜΟΙ ΓΕΓΟΝΑΣΙΝ ΕΙΣ Τ

(Ε) ΤΗΝ ΟΙΚΟΔΟΜΙΑΝ ΤΩΝ ΝΕΩΣΟΙΚΩΝ ΚΑΙ ΤΗΣ ΣΚΕΥΟΘΗ
(Κ)ΗΣ ΕΙΣΦΕΡΟΝΤΕΣ ΤΑΣ ΕΙΣΦΟΡΑΣ ΚΑΘ ΕΚΑΣΤΟΝ ΤΩΝ Ε
(Ν)ΙΑΥΤΩΝ ΤΑΣ ΕΙΣ ΤΑ ΔΕΚΑ ΤΑΛΑΝΤΑ ΚΑΛΩΣ ΚΑΙ ΠΡΟΘΥ
(Μ)ΩΣ ΑΠΟ ΘΕΜΙΣΤΟΚΛΕΟΥΣ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΜΕΧΡΙ ΚΗΦΙΣΟ(Δ)
(ΩΡ)ΟΥ sqq.

Ad celeberrimum igitur illud opus cui Philo praepositus erat iam inde ab Ol. 108. 2 viri illi annuum tributum solventes bene de rebus Atheniensium maritimis meruerunt. Extremis vero illius ipsius anni diebus auctor libelli de quo dissero spem demum aedificandorum restituendorumque *νεωρίων* iniecisse putandus sit? Legimus vero c. III. 12: *ὁπότε γε μὴν ἀφορμὴ ὑπάρχοι, καλὸν μὲν καὶ ἀγαθὸν, ναυκλήροις οἰκοδομεῖν καταγώγια περὶ λιμένας πρὸς τοῖς ὑπάρχουσι* et VI. 1: *τείχη δὲ καὶ νεώρια ἀνορθώσομεν.*

Ceterum aliis quoque potest demonstrari testimoniis iam ante Ol. 108. 3 de aedificatione *τειχῶν* et *νεωρίων* consilia esse capta. Aeschines enim Ol. 108. 3 hoc modo (Timarch. § 80. v. Schaef. Dem. II. 4. 2): *καὶ ὅτε ἐβούλευεν πέρυσιν ὅιαν μνησθῇ τειχῶν ἐπισκευῆς πύργου . . . . . καὶ τὰ μὲν παλαιὰ ἐάσω* sqq. Muri igitur restitui ante pacem Philocrateam coepti sunt et consilia de hac re antea capta: pecunia igitur ad ea opera perficienda non deerat. *Νεώσοικοι* autem sunt (Boeckh. d. re nav. p. 66) *καταγώγια ἐπὶ τῆς θαλάττης ᾠκοδομημένα εἰς ὑποδοχὴν τῶν νεῶν, ὅτε μὴ θαλάττοιεν.* Haec *καταγώγια* (III. 12) et *νεώρια* (VI. 1) scriptor *πε-*

ριουσίας πολλῆς γενομένης resarciri atque emendari iubet. Attamen ne ad haec quidem perpaucis post pacem Philocrateam diebus pecuniam defuisse certiores nos facit Demosthenes (or. XIX. 125) haec narrans: *ἐπειδὴ ἀπωλώλεσαν οἱ Φωκεῖς ὕστερον ἡμέραις πέντε ἢ ἕξ .... ὁ Δερκύλος ἐκ τῆς Χαλκίδος ἧκεν ἀναστρέψας καὶ ἀπήγγειλεν ὑμῖν ἐκκλησιάζουσιν ἐν Πειραιεῖ ὅτι Φωκεῖς ἀπολώλασιν* sqq. et §§ 58—61. Is qui de *πόροις* scripsit, si post pacem Philocrateam scripsisset Ol. 108. 2 exitu (Scirophor. XIII; aut potius, ut propugnatores huius sententiae volunt, post Phocensium deditionem Sciroph. XXIII.), dixissetne, cum iam Ol. 108. 2 Athenienses de *νεωρίοις* consultassent *ἐν Πειραιεῖ* Sciroph. XVII pecuniaque praesto esset, *περιουσίας πολλῆς γενομένης τὰ νεώρια ἀνορθώσομεν* et ea quae c. III. 12 commemorantur? Contra a. 355 iam talibus aedificationibus opus fuisse et supra attigi et diligenter Boeckhius (de re nav. p. 67 sq. inscr. IV. c. d.) ostendit: Ol. 105. 4 sive 106. 1 enim *νεώσοικοι* non sufficiebant multaeque naves extra portum ad ancoras consistere cogebantur. Nonne tunc ipsum optimo iure *τὴν τῶν νεωρίων ἀνόρθωσιν* scriptor commendavit?

Cap. III.

Sed iam, cum de Atheniensium inopia et de iis, quae cum ea cohaerebant, rebus satis multa mihi verba fecisse videar, ad partem aliam venire liceat, quae est de eorum *ἀδικίαις* et *διαβολαῖς*, quas in libello passim

commemoratas invenimus. cf. V. 1: *προςφιλεστέραν ποιήσειε τὴν πόλιν*; et § 8 sqq.: (*ἔστι*) *ἀνακτᾶσθαι τοὺς Ἕλληνας* .... et VI. 1: *προςφιλέστεροι μὲν τοῖς Ἕλλησι γενησόμεθα* et saepius ita. Qua de re disputatio haud difficilis erit, dummodo quod Hagenius statuit fine belli socialis scribi non potuisse quod legimus c. I. 1., refutaverimus: *ἀναγκάζεσθαι* (*ἔφασαν*) *ἀδικώτεροι εἶναι περὶ τὰς πόλεις* .... *ἐπεχείρησα σκοπεῖν εἴ πῃ δύναιντ' ἂν οἱ πολῖται διατρέφεσθαι ἐκ τῆς ἑαυτῶν ὅθενπερ καὶ δικαιότατον.* A. enim 355, inquit ille, non tantum *ἀδικίαν* Atheniensibus probro vertisset et propterea alia egestatis remedia quaesivisset, sed imprimis ob inopiam, cum aerarium penitus exhaustum esset, suadere esset conatus, ut socios neglegerent, praesertim cum iis pace Eubuli suasione coagmentata *αὐτονομίαν* concessissent. Speciosius hoc quam verius. Neque enim scriptor praecipue *ἀδικίας* illius remedia quaerit, sed inopiae, additque tantum *ὅθενπερ καὶ δικαιότατον.* Porro confitetur Hagenius ditiorem a. 346 quam a. 355 civitatem fuisse, ita ut a. 346 inopia illa non commemoranda videretur, *ἀδικία* illa videretur. At hoc quidem si quis credit, mirari certe debet cur scriptor a. 346 tamen dixisset (c. IV. 40): *εἰ δὲ νομίζετ' ἂν μηδ' ὁτιοῦν δύνασθαι εἰςενεγκεῖν.* Hagenius tunc temporis, quo ego opusculum hoc confectum esse contendo, omnino nullos Atheniensibus fuisse socios affirmat: „355 war Athen absolut unfaehig." Contra adferri possunt verba Isocratis haec (Areopag. § 1): *ὥσπερ τῆς πόλεως ἐν κινδύνοις οὔσης ἢ σφαλερῶς αὐτῇ τῶν πραγμάτων καθεστώτων, ἀλλ' οὐ πλείους μὲν τριήρεις ἢ δια-*

κοσίας κεκτημένης .... καὶ τῶν κατὰ θάλατταν ἀρχούσης, ἔτι δὲ συμμάχους ἐχούσης πολλοὺς μὲν τοὺς ἑτοίμους ἡμῖν, ἤν τι δέῃ βοηθήσοντας, πολὺ δὲ πλείους τοὺς τὰς συντάξεις ὑποτελοῦντας καὶ τὸ προςταττόμενον ποιοῦντας ..... ἡμᾶς εἰκὸς θαρρεῖν ...... καὶ τοῖς ἐχθροῖς τοῖς ἡμετέροις προςήκειν δεδιέναι cf. § 16; 134. or. VIII. 66. Porro iam Ol. 106. 3 (354) bellum Persis intulissent, nisi Demosthenes praeclara oratione sobrioque iudicio id prohibuisset. Itaque eo tempore non sine ullis videntur fuisse sociis: immo erant tum Athenis, qui socios nonnullos ad auxilium reipublicae ferendum paratos esse crederent erantque in quos acerbiore imperio si vellent uti possent. Confirmat hoc Demosthenes (de coron. 234. v. Westerm.): *δύναμιν εἶχεν ἡ πόλις τοὺς νησιώτας οὐχ ἅπαντας, ἀλλὰ τοὺς ἀσθενεστάτους, χρημάτων δὲ σύνταξιν εἰς πέντε καὶ τετταράκοντα,* quae verba spectant ad tempora ea, quibus orator rempublicam capessere coepit: ad finem belli socialis. Itaque non video cur scriptor, si quidem tributa omnino iniusta esse arbitratus est, non ea quae supra citavi a. 355 dicere potuerit. Rem sic expedio, ut *προεστηκόσιν* crimini versum esse statuam, quod *ἀδικίᾳ* in socios bellum illud gravissimum conflavissent, illos respondisse concedere se, quod socios premerent tributaque exigerent, iniustum esse, sed coactos sese *διὰ τὴν τοῦ πλήθους πενίαν ἀδικωτέρους περὶ τὰς πόλεις εἶναι.*

Nunc Hagenii illis dubitationibus refutatis restat ut demonstrem cur a. 355 potius scriptori quam a. 346 iniurias et calumnias commemorare licuerit. Res gestas

autem quae hoc loco adferri possunt si enumerare omnes velim dies me deficiat; neque opus est id facere. Arnoldus Schaeferus enim (Dem. I. 145 sqq. 87 sqq. 428. 435) et accuratissime et uberrime de his rebus disseruit. Pertinet autem huc etiam quod paucis annis ante bellum sociale socii Atheniensium Thebanis se dedidissent, nisi Epaminondas vita decessisset. Cf. Diodor. XV. 79. Socii igitur Atheniensibus succensebant. Quorum praetores non satis opibus ad bella gerenda adiuti aut avaritia commoti a sociis pecunias exigebant eorumque insulas vastabant (v. schol. ad Aesch. I. 64 p. 9 et Hyper. pr. Euxen. c. 38 sq.). Talia post bellum sociale aut omnino non aut rarius accidebant; nimirum Athenienses tum socios neglegebant ita ut Rhodios auxilium implorantes, quamvis Demosthenes (or. XIV.) id suasisset, tamen non adiuvarent. Non me fugit Athenienses post a. 355 colonos misisse (Aesch. I. 53) et Samum in insulam (a. 351) et Chersonnesum; sed multo iniustius acerbiusque ante bellum sociale egerant (Boeckh. Oec. civ. I. 560. c.). Concedo Byzantios etiam anno 341 Atheniensibus diffisos esse; sed iam inde a bello sociali, neque ob iniurias postea illatas. (Cf. Demosth. or. VIII. 14 sq. et Schaef. D. II. 449 sq.). At de aliis talia vix memoriae prodita sunt; immo vero iam paullo postea ii qui contra pugnaverant in gratiam Atheniensium redire voluere; testatur hoc idem Demosthenes (or. XV. 2—4). Quas διαβολὰς etsi non Rhodiis opitulati sustulere, tamen magnam quidem in partem diluisse putandi sunt, Olynthiis quod libenter tribus expeditionibus factis opem tulere. A. igitur 346

minus caussae fuit cur Atheniensium *ἀδικίαι* et *διαβολαί* commemorarentur, praesertim cum ante pacem legatis missis, qui et socios et omnes fere Graecos contra Philippum stimularent, socii auxilia non recusarent; deinde pacis participes esse voluerunt, quam interim Athenienses cum Philippo faciebant: *εὔνοιαν* aut certe non *ἀπιστίαν* vel odium sociorum illa passim ab oratoribus laudata *δόγματα* indicant (v. Aesch. II. 60 sq. III. 69 sq. Dem. XIX. 143 sq. Schaef. D. II. 202 sq.). Porro cf. inscriptiones eas de quibus quid sentiret nuper Adolphus Kirchhoffius exposuit (Disputt. Acad. Berol. class. philos. hist. 1867 sect. II.: „Über die Übergaburkunde der Schatzmeister der Athene vom Jahre Ol. 109. 1").

Ibi non pauci paullo post Ol. 108. 2 amicissimi Atheniensibus inveniuntur. Vix igitur a. 346, cum decem fere annos perpauca a sociis accepissent, aliquis dixit Athenienses, si iniuriis abstinerent ipsorumque ex terra sola fructus capere studerent, a Graecis magis dilectum iri (cf. I. 1; VI. 1). Quas res cum animo circumplector atque haec Isocratis et Demosthenis verba confero, persuasum habeo, si non perquam necesse sit propter *ἀδικίας* et *διαβολάς* commemoratas a. 355 opusculum scriptum putare, tamen multo verius ac rectius quam post pacem Philocrateam. Isocrates (or. VIII. 19) igitur Ol. 106. 1 hoc modo: *καὶ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν εὐδοκιμοῖμεν, ... ὁ πόλεμος ὑμᾶς πρὸς τοὺς Ἕλληνας διαβέβληκεν.* Tum 21: *συμμάχους ἕξομεν ἅπαντας ἀνθρώπους οὐ βεβιασμένους ἀλλὰ πεπεισμένους .....* Porro 23: *ἢν δὲ μεταβαλώμεθα τὸν τρόπον καὶ δόξαν*

βελτίω λάβωμεν et 66; 124; 142. Ex posterioribus et Isocratis et aliorum scriptis vix testimonia huc pertinentia Hagenius proferre poterit. Demosthenes vero a. 354 (*περ. τ. συμμ.* 36 sq.): *ἀλλὰ μηδ' ἀδικῶμεν αὐτῶν ἡμῶν ἕνεκα καὶ τῆς τῶν ἄλλων Ἑλλήνων ταραχῆς καὶ ἀπιστίας ..... μὴ πρόφασιν δῶμεν βασιλεῖ ταῦτα δίκαια ὑπὲρ τῶν ἄλλων ζητεῖν ..... πόλεμον ὑμῶν ποιησαμένων πρότερον εἰκότως ἂν δοκοίη διὰ τὴν πρὸς ὑμᾶς ἔχθραν τοῖς ἄλλοις φίλος εἶναι βούλεσθαι.*

Cap. IV.

Ceterum Demosthenes cum *τῆς τῶν ἄλλων Ἑλλήνων ταραχῆς* mentionem facit, quae a. 353 aliis in civitatibus fuisse Athenis non fuisse putanda est, me adhortatur ut ad aliud aggrediar argumentum, quo item Ol. 106. 1 potius quam 108. 2 opusculum scriptum esse efficitur et concedi debet.

A. igitur 354 *ταραχὴ* erat *τῶν ἄλλων Ἑλλήνων*; quam eandem auctor huius libelli significare nil est cur negemus (c. V. 8): *νῦν δέ γε διὰ τὴν ἐν τῇ Ἑλλάδι ταραχὴν ..... ἔστι μὲν γὰρ πειρᾶσθαι διαλλάττειν τὰς πολεμούσας πρὸς ἀλλήλας πόλεις, ἔστι δὲ συναλλάττειν, εἴ τινες ἐν αὐταῖς στασιάζουσιν.* Porro (10): *εἰ δὲ καὶ ὅπως ἀνὰ πᾶσαν γῆν καὶ θάλατταν εἰρήνη ἔσται φανεροὶ εἴητε ἐπιμελόμενοι.* Athenienses igitur ipsi pacem servabant. Idque cadere posse in Ol. 106. 1 praeter Demosthenis illa verba confirmat Isocrates (or. VII. 1 sq. paullo post libellum hunc scripta):

εἰρήνην δὲ καὶ τὰ περὶ τὴν χώραν ἀγούσης τῆς πόλεως et antea: *ὥσπερ τῆς πόλεως ἐν κινδύνοις οὔσης ἢ σφαλερῶς αὐτῇ τῶν πραγμάτων καθεστώτων.* Ceterae Graecorum respublicae in bellis turbisque civilibus tum versabantur: turbae erant in Boeotia, Thebani et Phocenses discordes; simultas inter Thebanos et Lacedaemonios nondum composita, etsi bellum non gerebant. Hi postquam Atheniensibus auxiliantibus a Boeotis liberati sunt, statim imperium recuperare ac primum quidem Messenios in ditionem redigere studebant; quibus cum Argivi Megalopolitaeque auxiliarentur, eorum auxilia sufficere non videbantur; idcirco Athenas miserunt, qui auxilium peterent; unde Ol. 106. 2 initio, ut videtur, a. 355 hoc responsum tulerunt (Pausan. IV. 28. 1): *οἱ Ἀθηναῖοι ἐς μὲν τὴν Λακωνικὴν οὔποτε μετ' ἐκείνων ἐςβαλεῖν ἔφασαν, ἀρχόντων δὲ Λακεδαιμονίων πολέμου ...... παρέσεσθαι καὶ αὐτοί σφισιν ἐπηγγέλοντο* (v. Schaef. Dem. I. 462). Praeterea turbae erant iam inde ab a. 359 in Thessalia (ibid. 456), quae complures annos videntur durasse (v. Dem. Ol. I. 12; II. 14). Porro de illis temporibus Demosthenes (d. cor. 18 sq.): *ἀλλά τις ἦν ἄκριτος καὶ παρὰ τούτοις καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν ἔρις καὶ ταραχή· ταῦτα δ' ὁρῶν ὁ Φίλιππος ...... πάντας συνέκρουε καὶ πρὸς αὑτοὺς ἐτάραττεν* (cf. etiam Liban. praef. Dem. Ol. orr. p. 5). Hic cum rerum status Ol. 105 et 106 esset, ut Athenienses post sociale bellum *πόρρω κινδύνων* viderentur, ceteri in periculis turbisque, occasio illis imperii recuperandi oblata erat, non bellis sed legatis mittendis (c. V. 8 sq.), *ἄνευ πόνων καὶ ἄνευ κινδύνων καὶ ἄνευ δαπάνης ἀνα-*

κτᾶσθαι τοὺς Ἕλληνας. Mirifice haec comprobantur ab Isocrate (or. VIII. 19—22): *ἃ νῦν ἀπολαβεῖν οὐ δυνάμεθα διὰ πολέμου καὶ πολλῆς δαπάνης ταῦτα διὰ πρεσβείας ῥᾳδίως κομιούμεθα.* Minus vero haec res, de qua agitur, in Ol. 108. 2 post pacem Philocrateam cadit. Concedo ne illo quidem tempore bellum Athenienses gessisse; at rumpere pacem paucis post diebus in animum induxere; et profecto rupissent, nisi Demosthenis oratione de pace habita absterriti essent: turbae igitur eo ipso tempore, quo H. Hagenius L. Dindorfius C. Curtius alii libellum scriptum esse putant, summae Athenis erant; cuius rei multa adferre possum testimonia; Demosthenes quidem decem fere diebus post pacem Philocrateam: *ὁ Δερκύλος . . . . . ἀπήγγειλεν ὑμῖν ὅτι Φωκεῖς ἀπολώλασιν καὶ ὑμεῖς ταῦτ' ἀκούσαντες ἐξεπέπληχθε καὶ παῖδας καὶ γυναῖκας ἐκ τῶν ἀγρῶν κατακομίζειν ἐψηφίζεσθε καὶ φρούρια ἐπισκευάζειν καὶ τὸν Πειραιᾶ τειχίζειν καὶ τὰ Ἡράκλεια ἐν ἄστει θύειν — ἐπειδὴ ταῦτ' ἦν καὶ τοιαύτη ταραχὴ καὶ τοιοῦτος θόρυβος περιειστήκει τὴν πόλιν* sqq. Iisdem vero diebus me iudice nemo dicere potuit: *νῦν δέ γε διὰ τὴν ἐν Ἑλλάδι ταραχὴν παραπεπτωκέναι μοι δοκεῖ τῇ πόλει . . . . . . ἀνακτᾶσθαι τοὺς Ἕλληνας* sqq. neque quae legimus paullo post, quasi nemo tunc iniuriam reipublicae intulisset: *ἢ καὶ ἄν τις ἀδικῇ τὴν πόλιν, λέγεις ὡς χρὴ καὶ πρὸς τοῦτον εἰρήνην ἄγειν;* nec: *συμβουλεύσαιμ' ἂν ἔγωγε πέμψαντας καὶ εἰς Δωδώνην καὶ εἰς Δελφοὺς ἐπερέσθαι τοὺς θεοὺς* sqq. Nam Phocensibus devictis Delphos Thebani tunc ipsum Atheniensibus inimicissimi obtinebant. Porro cf. Demosth.

ibid. § 86 et 88 et 187. Summum igitur, opinor, periculum imminebat; confirmat hoc Aesch. II. 139 et III. 80 sqq.: ὑμεῖς δὲ ἐκ τῶν ἀγρῶν φοβηθέντες ἐσκευαγωγήσατε ...... τοιαύτης ἐπιπιπτούσης ταραχῆς ... ... ὁ δὲ παριὼν ἀρχὰς αὐτοῖς ἐνεδίδου πολέμου καὶ ταραχῆς. Hac igitur in re etiam adversarios consentientes videmus. Durasse autem illas turbas usque ad Pythia anni insequentis Ol. 108. 3 (a. 346) A. Schaeferus (Dem. II. 276 sq.) accurate demonstravit.

Jam vero exploremus qualis tum ceteris in Graecorum civitatibus rerum condicio fuerit: Phocensium urbes eversae, ipsi Athenis benevole atque hospitaliter excepti; Philippus Thebani Thessali summa cum laetitia τὰ ἐπινίκια celebrabant, Atheniensibus succensebant; iisdem irati Argivi Messenii Megalopolitae alii, soli Lacedaemonii praeter insulanos Atheniensibus amici. Pugnatum vero esse paullo post pacem Philocrateam clademque Phocensium omnino non videtur: τὰς πολεμούσας igitur καὶ στασιαζούσας πόλεις nemo ne potuit quidem conciliare; minime vero de Atheniensibus, qui tunc ipsum in summo periculo rerumque desperatione erant, id dici potest. Quibus de rebus omnibus et Demosthenis legenda oratio cognoscendaque est, quam de pace (imprimis §§ 46—56) habuit et Isocratis Philippus qui inscribitur eodem tempore confectus. cf. etiam Curt. hist. Gr. lib. III. p. 629 sqq. et Schaef. Dem. II. 280 sqq.

Maneat igitur a. 355 conscriptum libellum esse pacemque, quae bis laudatur, non Philocrateam esse, sed eam, quam Eubulus cum sociis iniit. Ad quod

iudicium ut ita dicam muniendum ac firmandum pauca addi possunt. Pax enim Philocratea Ol. 108. 2 mensis Scirophorionis die XIII icta est. Phalaecus dux Phocensium cum rege decem diebus postea pactus est, id quod Dercylus Athenas refert die mensis XXVII. Tum demum a Phocensibus templum relictum esse potest; et postea libellum confectum esse putant, perpaucis certe ante Ol. 108. 3 diebus: ille enim mensis extremus anni fuit. Vix tamen credibile est auctorem tot consilia tam exiguo temporis spatio excogitare, examinare conscribere edere potuisse. Omnino huius rei ita mentio incoata est, ut non videatur nuntium modo audisse templi a Phocensibus relicti, sed omnibus id iam diutius cognitum fuisse nec tanti hoc factum aestimare quanti et Demosthenes et Aeschines et omnes qui tum fuere Athenienses. Praeterea minime perspici potest, quo pacto commercium pace modo facta, si omnino iam auctum erat, tam paucis postea diebus tantum emolumentum adferre potuerit, ut sana mente scriptori dicere liceret: *γνώσεσθε διὰ μὲν τὸν πόλεμον καὶ τῶν προςόδων πολλὰς ἐκλιπούσας καὶ τὰς εἰςελθούσας εἰς παντοδαπὰ πολλὰ καταδαπανηθείσας· ἐπεὶ δ' εἰρήνη .... γεγένηται ηὐξημένας τε τὰς προςόδους καὶ ταύταις ἐξὸν τοῖς πολίταις χρῆσθαι ὅτι βούλοιντο.*

Adhuc intelleximus igitur ex rebus, quarum in libello mentio fit, eum non a. 346 scriptum esse posse; idem ex iis rebus, quarum desideramus commemorationem, elicimus. Nonne, ut scriptus liber sit a. 346, mirum omnibus videri debet, quod nulla ex tot rebus, quae post a. 355 gestae sunt commemorata invenitur

et quod nihil commune habet cum scriptis iis, quae eo tempore confecta esse scimus, (ut puta Isocr. Philipp. Dem. or. d. pac.) tam multa similia et communia cum Isocratis et Demosthenis scriptis iis, quae eodem tempore, quo ego demonstrare conor hunc scriptum esse libellum, confecta sunt? Ne bello quidem sociali cum quanta bella adferant damna demonstraturus est argumento utitur. Auxilium Arcadibus latum, id quod a. 346 haud ita notum esse potuit, commemorat, tot tantaque auxilia Euboeae incolis Olynthiis Methonaeis aliis lata reticet. Hoc mihi quidem, si a. 346 eum scripsisse statuimus, plane inauditum videtur. Nihil denique est, quod intervallum illorum decem annorum 355—346 indicet. Subsidia (c. III. 7) Arcadibus et Lacedaemoniis (id enim supplendum videtur) Lysistrato et Hegesilao ducibus ut nuperrime missa laudat; id vero factum est aut a. 364, aut, quod equidem praefero, a. 362 (cf. Hellen. VII. 4. 4; et 29. Diodor. XV. 77 et 84. Schaef. Dem. I. 99 et 115). Haec enumerari ita post plus quindecim annos rebus gestis refertos numquam potuere; potuere post sex octove annos, quibus nil accidit momenti praeter bellum sociale, quod quidem, si fine eius confectus libellus est, nominari non debuit.

His rebus omnibus saepe circumspectis rationibusque subductis iudicium meum de libello, quod initio feci, pace E. Curtii, pace L. Dindorfii, pace H. Hagenii verum esse affirmare non dubito. Et si fortasse aliquid inest in libello, unde haec mea sententia videatur posse impugnari, videndum hercle potius est, ne id ipsum his omnibus, quae attuli partim tam probabilibus, partim

tam certis rationibus impugnandum sit et aut emendandum aut pro interpolato habendum aut aliter atque solent explicandum.

Cap. V.

Et profecto inest tale quid; in quo equidem recentiores cum a rebus gestis, quae alibi memoriae traduntur, discordare vidissent, vitupero, quod propter hoc unum et libellum decem annis post quam statui debet scriptum affirmant et cetera, quae in opusculo commemorantur quaeque anno 346 attribui non possunt, tamen partim neglegunt, partim falso artificioseque interpretantur totumque libellum a Xenophonte abiudicant. Hoc sane audacius recto iudicio instructis videri debet. Sunt autem verba, in quibus omnium paene recentiorum error originem habet haec c. V. 9: *εἰ καὶ ὅπως τὸ ἐν Δελφοῖς ἱερὸν αὐτόνομον ὥςπερ πρόσθεν γένοιτο φανεροὶ εἴητε ἐπιμελούμενοι μὴ συμπολεμοῦντες ἀλλὰ πρεσβεύοντες ἀνὰ τὴν Ἑλλάδα, ἐγὼ μὲν οὖν οὐδὲν ἂν οἶμαι θαυμαστὸν εἶναι εἰ καὶ πάντας τοὺς Ἕλληνας ὁμογνώμονάς τε καὶ συνόρκους (καὶ συμμάχους) λάβοιτε ἐπ' ἐκείνους οἵτινες ἐκλιπόντων Φωκέων τὸ ἱερὸν καταλαμβάνειν ἐπειρῶντο.*

Vult igitur scriptor templi Delphici *αὐτονομίαν* restitui non armis sed legatis mittendis. *συμπολεμεῖν* autem est: cum aliquo coniunctum contra aliquem bellare vel bello interesse. Sed postquam Phalaecus (fine Ol. 108. 2) cum exercitu conducticio Boeotia et Phocide a Philippo

cedere iussus est portaeque urbium, quas Phocenses obtinebant, victoribus apertae sunt, Thebani et Macedones templum occupavere, Phocenses reliquere: pax iam erat neque quisquam amplius bellum gerebat. Tunc ipsum, cum nec bellaretur et legati Atheniensium e Graecorum civitatibus vix rediissent, quis dixisset: *εἰ ὅπως . . . . μὴ συμπολεμοῦντες ἀλλὰ πρεσβεύοντες . . . .?* Deinde si illo tempore templi *αὐτονομίαν* legatis missis restituere conati essent, Athenienses, ut supra vidimus, non omnes Graecos, sed paucos socios habuissent nec pacem, id quod scriptor vehementissime cupit, conciliavissent, sed gravissimum periculosissimumque bellum conflavissent (v. Curt. H. G. III. 629 sqq.). A. vero 355 haec ita dici, quoniam bellum proxume exarserat, potuerunt. Denique a. 346 Phocensibus devictis nemo occupare templum conabatur (*ἐπειρῶντο*), sed continuo victores occupavere. Qua in re nunc video mecum consentire amicum meum R. Langium (Dissert. Inaug. Halis Saxonum (1873) p. 52 sq.).

Restant tamen quattuor potissimum verba, de quibus haec summa lis exorta est, quae a. 355 attribui posse non videbantur: *ἐκλιπόντων Φωκέων τὸ ἱερόν.* Haec quomodo intellegenda sint Boeckhium improbans Cobetus dilucide exposuit. Boeckhius enim Phocences interpretatur ante belli sacri initium, quoniam nihil illud bellum indicaret, aut *τοῦ ἱεροῦ προστασίαν* sibi vindicare desiisse tumque fortasse Thebanos templum occupare conatos esse, aut *ἐκλ. Φωκ.* significare: postquam remissiores facti sunt. Sed utraque explicatio altius petita est nec satis dilucide expressa. Cobetus

vero recte *ἐκλιπόντων* ad *τὸ ἱερὸν* refert et *ἐκλείπειν* contendit significare debere „locum periculo imminente relinquere, obsidenti vel oppugnanti aliquid concedere.“ Idque *καταλαμβάνειν* verbo opposito, cui notio capiendi subiecta est, eo certius fit. Saepissime *καταλαμβάνειν* et *κατάληψις* de Delphici templi occupatione adhibetur, ita ut dubitare nemo debeat, quin verba illa hunc in modum convertenda sint: Quicunque templum a Phocensibus relictum occupare conabantur. At quia nusquam memoriae traditum est, Phocenses eo tempore templum reliquisse, sed demum fine belli sacri (a. 346), tam graviter hac in re recentiores peccarunt. Ego contra Cobetum laudo, qui, postquam luculente demonstravit iis, qui de belli sacri initio scripserunt (maxime Diodoro) nullam fidem, quoniam sibi ipsi repugnant et complura confundunt (cf. etiam Schaef. Dem.), habendam esse, ex illa re adhibita etiam marmoris Parii auctoritate bis ea aetate templum a Phocensibus captum esse colligit, primum Ol. 105. 4 (vel 3) anno uno priusquam bellum sociale compositum esset Xenophonque de vect. scripsisset; deinde incertum, qua de caussa, quod retinere aut noluissent aut non potuissent, post brevem occupationem templum reliquisse; tum vero Thebanos ipsos occupare conatos esse. Phocensibus interea ingentem multam Amphictyonas dixisse, quam cum nullo pacto solvere possent ad rerum omnium desperationem redactos et insuper cum aliorum tum Lacedaemoniorum pollicitationibus fretos templum iterum occupasse. Vulgus hominum priorem occupationem, quia frustra fuisset, non curasse; historicos vero (Demo-

philum Ephori filium et alios) rem altius petentes et alia antiquiora commemorasse et Agathocle archonte Ol. 105. 4 vel iam Cephisodoro Ol. 105. 3 Phocenses templum recuperasse. Haec nunc Hagenii dubitationibus remotis etiam E. Curtium probaturum esse confido. Aliam profecto viam aut rationem ingredi non possumus, nisi forte interpolatam illam § aut corruptam esse contendamus; sed nimis lubricum et audax hoc est genus disputandi. Nam si qua res aliis quidem certis testimoniis non nititur, sed uno tantum loco (ut vect. c. V. 9) memoriae traditum est, cum propterea continuo improbamus, etiam si nihil adferri potest, quod adversa fronte contra pugnet et ipsum fide dignissimum sit, multa mox in oblivionem venient: hoc est veritatem vi delere. Cobeti igitur rationem et coniecturam et veram et necessariam iudico; sed etiam probabiliorem reddere possumus, si id quod Boeckhius de *προστασίᾳ* et *αὐτονομίᾳ* templi attigit, non plane neglegimus.

De templi Delphici *προστασίᾳ* diu et saepe Phocenses et Delphi rixabantur. cf. Curt. H. Gr. I. (1858) p. 215 sq. Quibus in rebus Athenienses illis his Lacedaemonii succurrere solebant (v. Curt. II. 156. 163; III. 338; 725). Thucydides (I. 112) quidem narrat: Post Cimonis mortem *Λακεδαιμόνιοι τὸν ἱερὸν καλούμενον πόλεμον ἐστράτευσαν καὶ κρατήσαντες τοῦ ἐν Δελφοῖς ἱεροῦ παρέδοσαν Δελφοῖς καὶ αὖθις ὕστερον Ἀθηναῖοι ἀποχωρησάντων αὐτῶν στρατεύσαντες καὶ κρατήσαντες παρέδοσαν Φωκεῦσιν* (Curt. H. Gr. II. 164).

Deinde pace, quae ab Nicia nomen invenit (Ol. 69. 3) haec de templo constituunt (Thuc. V. 18): *τὸ δ' ἱερὸν*

καὶ τον νεὼν τὸν ἐν Δελφοῖς τοῦ Ἀπόλλωνος καὶ Δελφοὺς αὐτονόμους εἶναι καὶ αὐτοτελεῖς καὶ αὐτοδίκους καὶ αὐτῶν καὶ τῆς γῆς τῆς αὐτῶν κατὰ τὰ πάτρια. Paullo post pugnam Leuctricam Thessali Iasone rege templi oraculique patrocinium suscipere voluerunt (v. Curt. III. 343 et 625); id quod rege interfecto impeditum est, ita ut Thebani Epaminonda duce plurimum in Amphictyonum concilio valerent, praesertim cum societatem cum Thessalis inirent (ibid. 311 sq.). Itaque Lacedaemonios magnae multae damnare ausi sunt. Phocenses Thebanorum imperium moleste ferebant, ita ut Atheniensium Lacedaemoniorumque societate maxime, ut videtur, freti (cf. Curt. H. Gr. III. 368 et 432) ante pugnam ad Mantineam factam se Thebanos armis auxiliisque tum demum adiuvaturos esse, cum hostes Boeotiam intrassent, dicerent. Ad hoc tempus referendum est psephisma, quod optime nunc legitur a Kirchhoffio editum (Monatsberichte der Berl. Acad. 1866. p. 196 sqq.). Astycrates quidam et eius amici, Delphis oriundi, principes eorum, qui Delphis Thebanorum adversarii erant fuisse putandi sunt. Ii ex aliqua nescio qua caussa consilio Amphictyonum damnati patriaque expulsi sunt: [ἐπε]

> [ιδὴ] Ἀνδρόνικος ὁ Θετταλὸ[ς ἱερομνημο]
> [νῶν] παρὰ τοὺς νόμους τῶν Ἀ[μφικτυόνων]
> [καὶ] τοὺς Δελφῶν εἰςήγαγε [ἐπιτίμησιν]
> [κατ'] Ἀστυκράτους καὶ τῶν μετ' α[ὐτοῦ, ὥστε]
> [φυγ]αδεῦσαι Ἀστυκράτην καὶ [τοὺς μετ' α]
> [ὐτοῦ], καὶ τὰς οὐσίας ἀφείλετο [. . . . .] sqq.

Illi Athenas confugere senatusque auxilium imploravere, qui iis multos quidem honores tribuit, metuisse

tamen videtur, ne Athenienses non efficerent, ut exsules in integrum restituerentur. Moleste ferendum est, quod haec inscriptio non integra ad nos pervenit. Post pugnam vero eo acerbius Thebani Phocensibus imperare, illi se liberare studebant; Thebanis autem semper socii ea aetate fuere Thessali Phocensibus inimicissimi, ut iam in Astycratis caussa *εἰςαγωγεὺς* fuit Andronicus Thessalus.

Hic cum rerum status esset ante sociale bellum, nonne sumi optimo potest iure Phocenses iam paucis annis antequam Philomelus templum occupavit, quo Thebanorum opes ac superbiam facilius frangerent, templi *προστασίαν* petiisse praesidiumque templo reliquisse atque ea facta esse, quae Cobetus praeclare coniecit?

Iudico igitur ex hoc libello discendum esse, etsi alibi non tam diserte commemoratur, templum, antequam liber de vect. confectus est, a Phocensibus relictum post brevem occupationem esse.

Haec vero utut se habent, cum verba illa c. V. 9, de quibus quaestio est, nullo pacto a. 346 scripta sint, a. 355 autem possint saltem scripta esse ac cetera, quae in libello adferuntur, omnia a. 355 indicent, efficitur c. V. 9 nihil necessitatis adferre cur opusculum a. 346 confectum putemus, sed potius illa gravissima verba quoquo modo a. 355 adscribenda esse.

PARS II.

Cap. I.

Relicta vero hac disputandi uberrima materie, sequitur, ut quaeram, fueritne Ol. 106. 1 exitu in vita cui libellus adscribitur Xenophon. Cuius de aetate si quaerimus auctoritatem paene solis eius scriptis tribuere debemus. Nam et ei, qui dialogum de Macrobiis confecit et Diogeni Laërtio confidere vetant nos cum alii tum Cobetus (Nov. Lect.). Quae quidem res quocunque modo se habet tamen constat inter omnes Xenophontem admodum senem vita decessisse. Anno 401 interfuit expeditioni a Cyro contra fratrem susceptae et paullo post pugnam ad Cunaxa commissam dignus visus est qui dux crearetur. Eo ipso tempore non plus quadraginta aut quinquaginta annos, ut multi voluere, habuisse videtur, sed triginta fere. Accurate vero natalem annum persuasum habeo nec posse effici nec satis ad rem de qua scribo pertinere (cf. Curt. H. G. III. 496 sq. Th. Bergkh in Ersch. et Grub. Encycl. tom. 81. 390. Cob. N. L. 535 sqq.). Anno fere 432 natus videtur et post pugnam, in qua Epaminondas cecidit, quoniam ipse descripsit eam, vixit. In qua pugna memoriae traditum est Gryllum (Schaef. D. Addit. I. p. 11 sq.) filium fortiter pugnantem pro patria vitam naturae reddidisse. Multi tum ut Xenophontem senem de filii excessu consolarentur mortem eius laudibus maximis extulerunt. Quot vero annis post illam pugnam

in vita fuerit, accurate definiri non potest. In Hellenicis quidem Alexandri Pheraei mors commemoratur, qui Ol. 105. 1 vel 2 interfectus est (Schaef. D. I. 133; 456. Bergk. in Ersch. et Grub. Encycl). Sed sunt qui hoc non a Xenophonte ipso scripta, sed a posteriore addita esse arbitrentur. Ille si Ol. 108. 2 in vita fuisset, vestigia certe sedecim illorum post proelium Mantineense annorum exstarent. Antea igitur mortuus est. Quae cum ita sint, si opusculum Ol. 108. 2 scriptum esset, quaestio haec de auctore profligata esset atque absoluta; dicendum foret alium auctorem esse. Nunc vero, quoniam nihil est cur illum ante Ol. 106. 1, quo anno libellus confectus est, mortem obiisse reamur, potest saltem Xenophon auctor esse; transitusque paratus videtur ad quaestionem explicatius instituendam, qui libellum exaraverit, qualis fuerit, qualis vir Xenophon.

Cap. II.

Sperat (c. IV. 23 sq.) auctor libelli quinque sexve annis reditus civitatis sex vel decem milibus servorum publice emtis multo auctum iri. Praeterea haec adfert: *πῶς οὐκ ἄξιον ὡς τάχιστα τούτοις ἐγχειρεῖν ἵνα ἔτι ἐφ' ἡμῶν ἐπίδωμεν τὴν πόλιν μετ' ἀσφαλείας εὐδαιμονοῦσαν;* Videtur igitur aetate iam provectus esse. Idem multi collegere nec sine iure, ut videtur, ex verbis (IV. 25): *ὅτι δὲ . . . . μαρτυρήσαιεν ἄν μοι εἴ τινες ἔτι εἰσὶ τῶν μεμνημένων ὅσον τὸ τέλος εὕρισκε τῶν*

ἀνδραπόδων πρὸ τῶν ἐν Δεκελείᾳ. Quae ita dicta sunt, ut ipse illa tempora vidisse iamque admodum tum senex fuisse putandus sit. Iuniores hoc non possunt testari nec videntur scire sed docentur. Porro: *πάλαι μὲν γὰρ δήπου οἷς μεμέληκεν ἀκηκόαμεν ὅτι* sqq. Potest igitur, sicuti Xenophon, anno fere 432 natus esse. Hinc refragari possumus quod H. Hagenius posuit, alteram partem opusculi fortasse ab Eubulo scriptam esse. Illum enim tunc temporis iam ad summam senectutem vitam perduxisse nego. Auctor libelli Atheniensibus non alienus est; res eorum optime novit et cur in tam aversas condiciones inciderint et quomodo respublica labefacta possit sustentari ac restitui; et multa de argentifodinis et de rebus maritimis disputat et consilia praebet quae si sequantur ditiores felicioresque evadant. Nec solum Atheniensibus non inimicus est, sed est etiam civis, non peregrinus aut inquilinus (II. 2; 5, 7. IV. 11, 25, 36 sqq.): *ἀφέλοιμεν, μεταδιδόντες μοι δοκοῦμεν, μετοικοφύλακας καθισταῖμεν, κατασκευαζώμεθα; οἱ πρόγονοι οἱ ἡμῶν; ἡμᾶς ἅπαντα δέοι ἐκπορίζεσθαι; ἀπηλλαγμένοι ἂν εἴημεν. . . . . ἐμβάλοιμεν.* Porro (V. 6 sq. 13): *ἐτύχομεν, ἀπεσχόμεθα . . . . . ἐγενόμεθα, Λακεδαιμόνιοι οὐ βιασθέντες ὑφ' ἡμῶν, τιμωροῖμεθ' αὐτοὺς . . . . παρέχοιμεν.* Tum (VI. 1. 3): *προςφιλέστεροι γενησόμεθα, ἀσφαλέστερον οἰκήσομεν . . . . . εὐκλεέστεροι ἐσόμεθα, ἑορτὰς ἄξομεν, ἱερὰ ἐπισκευάσομεν, τείχη καὶ νεώρια ἀνορθώσομεν . . . . . ἀποδώσομεν, ἄριστα πράττοιμεν ἄν.* Accedit quod dialecto Attica utitur. Fortasse etiam Athenis habitavit, etsi hoc non certo eruere possumus. Insunt potius quae contra dicant. Huc re-

fero quod in c. I et III, praeter unum *ἐνθάδε* c. I. 3, de Atheniensibus tertia semper utitur persona (I. 1): *τῶν Ἀθήνησι προεστηκότων . . . . οἱ πολῖται δύναιντ' ἄν.* Tum (2): *ἡ χώρα πέφυκεν οἷα . . . τὴν φύσιν τῆς Ἀττικῆς.* Porro (3): *ἐνταῦθα* et alibi alia. Ceterum etiam in iis opusculi partibus, ubi primam personam adhibere solet, tertiam non respuit (V. 6 sq.): *ἐτύχομεν . . . . . ἡ πόλις; ἐγενόμεθα . . . . . Ἀθηναίοις; βιασθέντες ὑφ' ἡμῶν . . . . ἔδωκαν Ἀθηναίοις* et saepius. Quodsi cui mirum videtur civem Atheniensem ita loqui, rem ita expediverim ut eum qui haec scripsit in simili condicione dicam fuisse in qua is qui de Atheniensium republica disputavit. Scripsit ille exsul ante pacem quae Nicia auctore facta est; qui quoniam non Athenis fuit tertiam personam plerumque de rebus Atheniensium adhibens loquitur (Rep. Ath. I. 1—4): *τῆς Ἀθηναίων πολιτείας . . . . εἵλοντο . . . . αὐτοῖς, αὐτόθι, νέμουσιν, φανοῦνται, Ἀθήνησιν, αὐτόθι.* Tum quamvis exsul sit, tamen ut *αὐτόθι* adhibet ita non respuit (10 sqq.) *λαμβάνωμεν, ἐποιήσαμεν,* tum denuo *ἡ πόλις;* sed paullo post iterum *ἐποιήσαμεν;* sequitur autem *αὐτόθι, Ἀθήνησι,* similia. Ceterum ex sola voce *αὐτόθι* non evincitur auctorem libri Athenis non fuisse; potuit etiam Athenis ad alios ita scribere. Attamen alias ob caussas recte sumitur eum exsulem fuisse. At auctor huius opusculi Athenienses adloquitur, non ad alios scripsit; videtur igitur, cum *ἐνταῦθα* adhibeat, non Athenis versatus esse. At Eubulus (sive unus ex eius amicis) eo tempore et a. 355 et a. 346 Athenis fuit neque eodem in libello tum persona III tum II tum I

uti potuit. Sin quis Atheniensis in patria tum non habitabat, ita cives adloqui potuit, non contionabundus sed epistularum genus imitatus. Auctor libelli de republica Atheniensium pluralem numerum pers. I interdum adhibet quia ita loqui solitus, cum in exsilio esset, tantopere sibi consistere non poterat, ut semper de Atheniensibus quasi de alienis cogitaret. Itaque quod hoc in opusculo de quo disputatio est simile quid occurrit, difficultatem sic tollere liceat, ut libellum confiteamur esse Xenophontis: qui multos annos exsulabat et Scillunte et Corinthi quique in Hellenicis semper de Atheniensibus ut de alienis cogitans tertia persona uti consueverat. Nihil igitur adfert, si Xenophon libellum scripsit, admirationis quod quamquam revocatus erat tamen ille consuetudinem servans interdum tertiam personam de Atheniensium rebus adhibet.

Ceterum de Xenophontis Athenas reditu, cum quod legimus c. II. 7 *καθισταῖμεν* et IV. 36 *ἀποτελοῖμεν* civem — et erat Xenophon revocatus — dicere posse etiamsi extra patriam versatur, credere liceat, accuratius copiosiusque quaerere non oportet. Namque omnia explanari possunt sive revocatus iterum domicilium et sedem (Schaef. D. I. 170 sq.) Athenis collocavit sive quod Demetrius Magnes narrat verum est: *τέθνηκεν ἐν Κορίνθῳ* (v. Diog. L. II. sq.). Nec vero contemnendum esse reor iudicium Letronnii, qui ad verba Diogenis Laërtii (cf. praef. Dind. ad vect.); *Ἴστρος φησὶν αὐτὸν φυγεῖν . . . . καὶ κατελθεῖν . . . . .*

„On ignore“, inquit, „s'il retourna jamais; du moins est-on sûr, qu'il ne vint pas s'y fixer . . . . Il faut

attribuer la cause à la difficulté, qu'éprouve toujours un vieillard à quitter le lieu où il a pris ses habitudes . . . . Xénophon passa donc le reste de ses jours à Corinthe."

Cap. III.

Jam vero ut de Xenophontis mente atque ingenio dicam, illum deorum amantissimum fuisse et ab eorum iussis oraculisque omnia suspensa habuisse, quis est qui nesciat? Commemoro praeter Anab. III. 2. 9. IV. 8. 25. V. 3. 4 sqq. et Hell. III. 4. 18 et Hipparch. (quem pro Xenophonteo habeo) III. 1. V. 2. VII. 1 et 3. IX. 3 et 9 et Oecon. VII. 7 et Cyn. VI. 13 imprimis Anab. III. 1. 5 sq.: *Σωκράτης συμβουλεύει τῷ Ξενοφῶντι ἐλθόντα εἰς Δελφοὺς ἀνακοινῶσαι τῷ θεῷ περὶ τῆς πορείας· ἐλθὼν δὲ ὁ Ξενοφῶν ἐπήρετο τὸν Ἀπόλλω τίνι ἂν θεῶν θύων καὶ εὐχόμενος κάλλιστα καὶ ἄριστα ἔλθοι τὴν ὁδὸν ἣν ἐπινοεῖ καὶ καλῶς πράξας σωθείη.* Et videtur aliquid a magistro didicisse: nam An. VI. 2. 15 cautius deum consuluit: *θυομένῳ αὐτῷ . . . . . πότερα λῷον καὶ ἄμεινον εἴη στρατεύεσθαι . . . . .* Etenim An. III. 1. 7 Socrates eum cum Delphis rediisset deique responsum cum illo communicasset, vituperavit: *ᾐτιᾶτο αὐτὸν ὅτι οὐ τοῦτο πρῶτον ἠρώτα πότερα λῷον εἴη αὐτῷ πορεύεσθαι ἢ μένειν, ἀλλ' αὐτὸς κρίνας ἰτέον εἶναι, τοῦτ' ἐπυνθάνετο ὅπως ἂν κάλλιστα πορευθείη* sqq. Praeclare cum his congruit, si quidem Xenophonti libellum tribuimus, c. VI. 2: *συμβουλεύσαιμ' ἂν ἔγωγε πέμψαντας καὶ εἰς Δελφοὺς . . . . . ἐπερέσθαι τοὺς*

θεοὺς εἰ λῷον καὶ ἄμεινον εἴη ἂν τῇ πόλει οὕτω κατασκευαζομένῃ . . . . . τότ' ἂν αὖ φαίην χρῆναι ἐπερωτᾶν, τίνας θεῶν προςποιούμενοι ταῦτα κάλλιστα καὶ ἄριστα πράττοιμεν ἄν. Porro verba insequentia imprimis haec: *σὺν γὰρ θεῷ πραττομένων εἰκὸς καὶ τὰς πράξεις προιέναι ἐπὶ τὸ λῷον καὶ ἄμεινον ἀεὶ τῇ πόλει* et *συμβουλεύσαιμ' ἂν ἔγωγε* optime illustrantur Hipparchi (IX. 8) verbis his: *ταῦτα δὲ πάντα θεῶν συνθελόντων γένοιτ' ἄν, εἰ δέ τις τοῦτο θαυμάζει ὅτι πολλάκις γέγραπται τὸ σὺν θεῷ πράττειν, εὖ ἴστω, ὅτι ἢν πολλάκις κινδυνεύῃ ἧττον τοῦτο θαυμάσεται . . . .* Praeterea Socratis discipulum agnoscimus qui quidquid facturus erat bonum iustum honestum respicere solebat ex formula saepe in libello occurrenti *καλὸν καὶ ἀγαθὸν* et quod saepe *τὸ δίκαιον* commemorat. Testimonia praebent, si opus est, An. I. 9. 16. II. 1. 17. III. 1. 38. Cyr. VIII. 2. 23: *ὃς ἂν κτᾶσθαί τε πλεῖστα δύνηται σὺν τῷ δικαίῳ χρῆσθαί τε πλείστοις σὺν τῷ καλῷ, τοῦτον ἐγὼ εὐδαιμονέσατον νομίζω.* Nonne idem quod hic laudat Xenophon, auctor huius libelli sequitur? cf. *πόρ.* I. 1. II. 14 sqq. III. 3 sq. 12; 14. IV. 40. VI. 2 sq. cf. praeterea Hipp. I. 15; 20. III. 10 sq. IV. 15 et alia. Et deos quidem Xenophon consuluit non tantum cum agitur de proeliorum exitu sed omnibus in rebus; cf. praeter Hipp. finem Cyr. I. 6. 3. Oecon. V. 20. Sic hoc in libello dii consuli iubentur de salute civitatis reditibus augendis tuenda; nec (vect. VI) scriptor uno Dodonaeo oraculo contentus est, plane ut Xen. Hell. IV. 7. 2: *ἐλθὼν εἰς Ὀλυμπίαν ἐπηρώτα τὸν θεὸν . . . . . πορευθεὶς εἰς Δελφοὺς ἐπήρετο αὖ*

τὸν Ἀπόλλω εἰ κἀκείνῳ δοκοίη . . . . . καθάπερ τῷ πατρί.

Modestiae vero quam ut Socrates ita Xenophon magni aestimavit vestigia in hoc opusculo non desunt. Huc refero quod illi quid ipsi sentiant non solum contendunt, sed aliorum etiam sententias adferunt easque examinant. Persaepe in hoc libello occurrit formula cum hac consuetudine cohaerens quodammodo (cf. Cyr. IV. 3. 9 sqq.): *εἰ δ' αὖ τις λέγει, εἰ δ' αὖ νομίζετε,* similia. Sed de his rebus plura posthac. Praeterea modestiae tribuo ac iustitiae, quod, ut in Oeconomico (Breitenb. Oec. praef. p. IV) id agit Xenophon, ut aliquanto liberiorem feminae sortem et honestiorem reddat, quam quae plerumque muliebribus Atheniensium fuisse traditur, ita huius libelli auctor (II. 2) inquilinorum mercatorumque condicionem sublevare studet: *εἰ ἀφέλοιμεν ὅσα ἀτιμίας δοκεῖ τοῖς μετοίκοις παρέχειν* et alia.

Porro obedientiam saepissime Xenophon praedicat· cf. Hell. III. 4. 16 sqq. Comm. III. c. 3. Hipp. I. 3; 7. Resp. Lac. VIII. 3 fine. Aliter enim ordo servari non potest. cf. Oec. IX. 3 sqq. Cum his conferre placet vect. IV. 51: *πραχθέντων γε μὴν ὧν εἴρηκα σύμφημι ἐγὼ οὐ μόνον . . . . . ἀλλὰ καὶ εὐπειθεστέραν καὶ εὐτακτοτέραν . . . . . γενέσθαι.* Certe omnem operam cogitationemque Xenophon in eo collocatam habebat, ut Socratis exemplum secutus omnia ad hominum mores virtutis ac sapientiae praeceptis emendandos et ad reipublicae salutem domi militiaeque servandam et ad civium utilitatem felicitatemque augendam referret.

Splendoris vero Xenophon cupidus erat atque cuius-

dam speciei atque magnificentiae. Cf. Anab. V. 3. 9 sqq. V. 5. 5: *πρῶτον ἔθυσαν καὶ πομπὰς ἐποίησαν ..... καὶ ἀγῶνας γυμνικοὺς*; cf. IV. 8. 25 sqq. *καὶ καλὴ θέα ἐγένετο.* Talia libentissime describit cf. Cyr. I. 6. 25. VI. 4. 1 sqq. Oec. V. 10. VIII. 5 sqq. XI. 9 sq. Hipp. I. 22 (cf. vect. IV. 8). II. 1: *καλλίστας μὲν θεοῖς πομπὰς πέμπουσι, κάλλιστα δὲ ἱππάσονται* .... cf. vect. I. 4 *κάλλιστοι μὲν ναοὶ, κάλλιστοι δὲ βωμοὶ, εὐπρεπέστατα δὲ θεοῖς ἀγάλματα.* Porro Hipp. III. 1. Hier. IX. 9 sq. cf. praeterea vect. II. 3 sqq. III. 3. IV. 13. VI. 1.

Iam *φιλοτιμίαν* ille si quis aut honoribus aut hospitio aut aliis rebus excitare studet et laudat et ipse praemiis propositis animos inflammare solet. cf. Cyr. I. 6. 8. II. 1. 20 sqq. et 30. VI. 2. 33. VIII. 1. 39; 2. 26; 4. 5; 6. 11: *ὃς ἂν ἐμοὶ πλεῖστα .... ἀποδεικνύῃ, τοῦτον .... τῆς ἀρχῆς τιμήσω*; et 14: *πᾶσι δὲ οἱ ἄριστοι τῶν παρόντων ἕδραις προτετίμηνται*; cf. *πόρ.* III. 3: *καλὸν προεδρίαις τιμᾶσθαι .... καὶ ἐπὶ ξένια ἔστιν ὅτε καλεῖσθαι.* Tum Cyr. VI. 2. 38: *ὅστις τῶν ἐμπόρων πλείστην ἀγορὰν παρέχων φαίνηται, οὗτος .... δώρων καὶ τιμῆς τεύξεται,* quae optime congruunt cum vect. III. 4, ubi item de mercatoribus sermo est. cf. porro Hell. III. 2. 10; 4. 16; IV. 2. 5. Comm. III. 3. Oec. IV. 8. R. equ. 12. 2. Hipp. I. 6; 21; 23; 25 sq. II. 2. IX. 5 sq. Hier. IX. 4—11. R. Lac. IV. 7 et saepe in Anab. et ubi non? Itaque non mirum quod hoc in opusculo saepe praemia proponuntur. II. 7. III. 3 sq. IV. 8 et alibi. Beneficia autem, quae vect. III. 11 laudantur, passim a Xenophonte commemorantur. Hell. I. 1. 26. VI. 1. 4. Cyr. III. 3. 4. IV. 4. 12.

Deinde Hagenius et Onckenius („Isocrates und Athen". Heidelberg 1862) et Langius (Diss. Inaug. p. 53) et alii libellum non ab eodem putant posse confectum esse qui expeditioni Cyri interfuit et propter virtutem dux factus est et qui Cyropaediam scripsit. At praeterquam quod is ipse, cuius laudatam illam institutionem scripsit, *ἐπηγάλλετο οὐδὲν ἧττον ἐπὶ τοῦ χώρας ἐνεργοὺς ποιεῖν καὶ κατασκευάζειν ἢ ἐπὶ τῷ πολεμικὸς εἶναι,* Xenophon dux electus est minus quia animus ardebat bellandi consuetudine et cupiditate, sed propter prudentiam humanitatem belli peritiam. Optimum quidque a Socrate eligere assuefactus erat: optimum vero tunc temporis pacis studium fuisse nemo est qui ignoret. Scivit Xenophon et ipse expertus est quantas calamitates bella adferrent. Bellicis ille studiis non ita incensus erat, ut immanis ac ferus esset, sed si a quo lacessitus esset defendere sese honestum putaret. Talis vir huius quoque libelli auctor apparet. cf. IV. 41; 51 sq. V. 13; et belli se peritum prodit c. IV. 43—48. Porro Xenophontem non modo pacem sed etiam dies festos commendasse mirari desinemus si in memoriam revocaverimus etiam Demosthenem dixisse pacis temporibus non necesse esse *τὰ θεωρικὰ* fieri *στρατιωτικά* (Westerm. ad Ol. III. 34).

Iam vero Xenophonti nihil tam regale visum esse, quam studium agri colendi concedo: sed quod Hagenius et alii, quod in hoc opusculo agricultura non modo non commendata sit sed contempta potius, Xenophontis non posse esse iudicant, id minime concedo. Equidem enim libere fateor me ex c. IV. 6 eruere non posse quod illi.

Commendata vero est c. I. 2, etsi non tam copiose ac diserte eam praedicat: non enim erat Attica fertilissima; praeterea Xenophon de cultu agrorum frugumque perceptione satis multa in Oeconomico exposuerat.

Nunc singulas aliquot sententias adferam ex quibus idem quod antea concludere licebit. Saepius quidem Xenophon de praesentibus rebus praeteritis in memoriam revocatis optime iudicari posse commemorat. Sic Hell. IV. 4. 11: *καὶ τίς ἂν καλλίων κρίσις γένοιτο ἢ ὡς ἐπολεμήσαμεν* sqq. Cyr. VIII. 7. 24 *καὶ παρὰ τῶν προγεγενημένων μανθάνετε* cf. vect. V. 5; tum V. 11: *πῶς ἂν ἄμεινον ταῦτα κριθείη ἢ εἴ τις τὰ προγεγενημένα* ..... Porro res bene consideratas quam primum aggrediendas esse Cyr. VIII. 6. 18 statuit: *ἀγαθὸν δὲ ὡς τάχιστα ἕκαστον αἰσθανόμενον ὡς τάχιστα ἐπιμελεῖσθαι.* Hipp. IX. 2. R. Lac. X. 8. Comm. III. 5. 28. Sic vect. VI. 1 *ἄξιον ὡς τάχιστα τούτοις ἐγχειρεῖν.* Tum de civitatis reditibus meditari civem non dedecere Cyr. VIII. 1. 13 affirmatur: *τὸ προσόδων ἀμελεῖν οὐχ' οἷόν τε ἐνόμιζεν.* Temere igitur existimant ii qui libelli argumentum Xenophonte indignum esse contendunt. cf. etiam Cyr. VI. 2. 38 sq. Comm. III. 6. 4 sqq. Hier. IX. 8 sq.: *καὶ γὰρ αἱ πρόσοδοι αὔξοιντ' ἂν .... εἰ δὲ καὶ ἐμπορία ὠφελεῖ τι πόλιν ..... καὶ ἐμπόρους ἂν πλείους ἀγείροι* cf. vect. I. 1; III. 3 et alibi. Praeterea de muniendis Atticae oppidis (IV. 44) cf. Hell. I. 2. 1 et Comm. III. 5. 25 sqq. Porro incolarum multitudinem parandam esse, quo ditior fiat respublica Oec. IV. 8 et 10. Cyr. IV. 4. 5 exponit; cf. vect. II. 7; IV. 49 sq. Cligenem denique Xeno-

phon eadem fere consilia dantem facit, quae hoc in libello occurrunt, Hell. V. 2. 16 sqq.

Cap. IV.

His de ingenio ac mente scriptoris expositis nihil a Xenophonte alienum quodque alium auctorem indicet inesse in libello concedendum erit. Pauca tamen inveniri possunt quae a posterioribus videntur addita aut corrupta esse. In c. I. 3 enim suspicionem meam verba: *ὥσπερ δ' ἡ γῆ οὕτω καὶ ἡ περὶ τὴν χώραν θάλαττα παμφορωτάτη ἐστί* excitant. Demonstraturus est *τὴν χώραν πεφυκέναι οἵαν πλείστας προσόδους παρέχεσθαι*; propterea, inquit, *διηγήσομαι τὴν φύσιν τῆς Ἀττικῆς*. Ac primum quidem *ὧραι* ibi sunt *πραόταται,* ita ut omnia in Attica potissimum crescant ac floreant. Qua cum sententia arctissime ea quae paullo post sequuntur cohaerent: *καὶ μὴν ὅσαπερ οἱ θεοὶ ἐν ταῖς ὥραις ἀγαθὰ παρέχουσιν, καὶ ταῦτα πάντα ἐνταῦθα πρωιαίτατα μὲν ἄρχεται, ὀψιαίτατα δὲ λήγει.* Sunt autem hae sententiae diremptae verbis quae huc plane non pertinent: *ὥσπερ δὲ ἡ γῆ* (non *χώρα,* ut alibi semper), *οὕτω καὶ ἡ περὶ τὴν χώραν θάλαττα παμφορωτάτη ἐστίν.* Quid vero *θαλάττῃ* cum *ὥραις?* Porro mare Atticum qui potest appellari *παμφορώτατον?* Alibi quidem ita non praedicatur; neque enim multis maris fructibus Athenienses utebantur, nisi quod navigabant. Itaque scriptori exponendum saltem erat, cur mare *παμφορώτατον* appellet; sed ille ne pisces quidem com-

memorat; haec autem excidisse vix putaverim: namque de *χώρᾳ* tantum agere instituerat; idque capitis insequentis initio confirmatur: *τούτων μὲν οὖν ἁπάντων, ὥσπερ εἶπον, νομίζω αὐτὴν τὴν χώραν αἰτίαν εἶναι* sqq. Nihil igitur de maris fructibus antea narravit. Omnino, ut haec verba auctor libelli scripserit, cur non aptiore loco (e. g. ante *ὅπως δὲ γνωσθῇ*) posuit? Origo igitur huius enuntiati aut certe tenoris interrupti ab aliena manu petenda est.

Nec verba § 6: *οὐκ ἂν ἀλόγως δὲ . . . . . παρέχονται* offensione carent; non enim exponitur quomodo haec emolumentorum esse caussa possit. Quam § si cum § 4 coniungimus, ubi de *ὥραις πραοτάταις* sermo est, ut hic de *ψύχεσιν χαλεπωτέροις* et de *θάλπεσιν,* optimum efficimus sensum. Tum in c. II. 3 non video quid utilitatis reipublicae adferat, si cives soli proeliis intersint neque admisceantur inquilini, quid honoris ac gloriae video. Hic quoque alienam manum deprehendi reor.

Caput denique IV. 41 sq. H. Hagenius cum c. II. 2 et 4 coniungi non posse existimavit. Nec L. Dindorfius illum satis recte refutavit, cum diceret *πεζοὺς,* qui IV. 42 commemorantur, non *ὁπλίτας* esse debere, sed terrestres omnino copias, quod illis opponerentur verba: *πολλὰς μὲν γὰρ ναῦς πληροῦν ἱκανοὶ ἂν εἶεν δημοσίᾳ.* Etenim, si quidem *πεζοὶ* terrestres copiae sunt, inprimis sunt pedites, quibus possunt admisceri equites. Sed ego has §§ (IV. 41 sq.) ad inquilinos debere nos referre nego, possunt etiam ad *ξένους* referri, qui quidem magnis imminentibus periculis militare iubebantur;

porro in c. IV. 41 sq. bellum in Attica ipsa geri sumit, non ut c. II. 2 et 4 extra Atticam. Haec igitur difficultas quam Hagenius observavit ita removeri poterit. Sed alia res est in qua ego magis offendo. Sunt enim, inquit, qui timeant ne bello exorto frustra sit factus hic apparatus. Respondet autem: *τούτων γιγνομένων πολὺ φοβερώτερος ὁ πόλεμος τοῖς ἐπιφέρουσιν ἢ τῇ πόλει;* nec vero exponit cur bellum hunc apparatum impedire possit. Porro apparatus ad argentifodinas spectat. At non illis bene institutis sed commercio aucto inquilinorumque condicione sublevata plurimi Athenas alliciebantur. Ne hoc quidem cur bello exorto non prohibeatur exponit; nec facile potuit exponere: pax enim potius servanda erat. Cf. V. 1. Verba: *αὕτη ἡ κατασκευή* videntur igitur ad solas argentifodinas spectare. Haec cum ita sese habeant et eadem sententia paullo post inde a verbis § 43: *λογίζομαι δ' ἔγωγε* sqq. enucleatius tractetur, in § 41 sq. quoque aliquid corruptum esse putaverim: fortasse verba *ἐννοησάτωσαν . . . . θεραπεύοι* delenda sunt et § 43 cum initio § 41[ae] coniungenda. Is qui verba illa suspecta addidit fortasse Oec. V. 13 respexit. Certe non cogimur credere, id quod Hagenius colligere ausus est, libellum a duobus confectum esse; priorem partem c. IV. 33 finiri. Etenim § 34 bene cum § 33 cohaeret; usque ad quam § quid de argentifodinis sentiret exposuerat; inde a § 34 refellere studet quae alii contra dicant. Porro quod idem Hagenius ut iudicium suum confirmaret attulit, *ὀφειλὴν* verbum citari quidem ut occurrens in hoc libello nec vero inveniri, hanc opinionem L. Dindorfius,

quamquam eiusdem cuius ille sententiae defensor est gravissimus, tamen recte delevit. Denique quia in his duabus quas ille finxit partibus eadem ratio cogitandi atque sentiendi inest, ut passim vidimus, et eandem dicendi consuetudinem paullo post docebimur inesse, nihil prorsus est, cur Hagenio assentiamur.

PARS III.

Cap. I.

Sequitur igitur his rebus expositis ut de stilo quem appellant et de rebus grammaticis et de verborum delectu et quae huc pertinent quam accuratissime quaeram. Incipit scriptor sententia universali, quo exordii genere iam Bakius Xenophontem libenter uti animadvertit. Tum ad rem ipsam descenditur: argumenta et consilia non more philosophorum sagaciter distributa attamen ordine quodam coniuncta sunt; id quoque ex Xenophontis consuetudine est. Inest in libello „inaffectata iucunditas, quam nulla consequi affectatio possit;“ a forensi strepitu remotissimus est; omnia plana et luculente exposita. Et profecto, nihil a Xenophontis ingenio aut oratione alienius quam vitiosum acumen et ex inepta subtilitate natam obscuritatem esse Cobetus (N. L.) recte iudicavit. Oratio eius in una re contemplanda defixa est; luminibus dicendi ac figuris sententiarum elocutionisque abstinet, leniter et aequabiliter

semper profluens. Ad res demonstrandas ut Socratis discipulus exempla idonea comparationesque non aspernatur; cf. III. 7. IV. 6 sqq. 14 sqq. 46. V. 3; 5 sqq. 12. Ita igitur loquitur idque agit ut facile quid velit intellegatur. Ex eadem caussa non crebro periodos difficiles intellectu usurpat sed enunciata maxime particulis *μὲν-δὲ, τε-καὶ, καὶ-καὶ, ἀλλὰ* similibus aut coniuncta aut sibi opposita ita ut brevi sint amplexu. cf. I. 7. IV. 5 sqq. 28 et passim. Tenue igitur dicendi genus et Xenophon et auctor huius libelli sequitur.

Anacolutha minus consilio quam neglegentiae tribuenda et traiectiones verborum et anaphoras, quo dilucidior oratio evadat, hic scriptor cum Xenophonte communia habet; id quod exemplis aliunde petitis illustrare supersedeo; in hoc vero libello anacolutha invenimus; c. II. 1. IV. 6; 22; cf. IV. 4; anaphoras: I. 4 (similiter Hipp. II. 1). II. 2 (cf. Hipp. I. 24). III. 7 (Cyr. VII. 2. 19). III. 12 (Hipp. IV. 15); IV. 11; 22; 43; 46; V. 8. 12; traiectiones denique verborum: IV. 1; 20. Ego etsi concedo in ceteris Xenophontis scriptis alias praeterea inveniri figuras, tamen meum de libello iudicium propterea erui mihi non patiar. Etenim tam rara talia apud Xenophontem sunt, ut mirari non debeas ea hoc in libello deesse. Xenophon, ut unum adferam, idem significantia qua est orationis siccitate raro coniungit, ita ut Cobetus (N. L. 609 sq.) verborum Comm. IV. 10: *ἀνθρώποις χρῆσθαι καὶ ὁμιλεῖν* ultima delere non dubitet. Eundem fere canonem, si ita dicere liceat, auctor huius libelli sequitur: nam in c. III. 5, aut *ἐξάγοιτο* aut *ἐκπέμποιτο* expungendum esse

nemo est qui addubitet; eademque suspicio est in c. V. 9: *ὁμογνώμονάς τε καὶ συνόρκους καὶ συμμάχους.*

Cap. II.

Dico nunc de formulis quibusdam quas Xenophon paene nimis saepe usurpat praesertim ad aliam orationis partem transiturus. Moneam vero his omnibus argumentis eo maiorem vim esse tribuendam, quod id quidem inter eos, qui diligentissime persecuti sunt temporum annales, nulla est umquam in dubitatione versatum, hunc libellum non ab imitatore aliquo vel compilatore multis annis post Xenophontis aetatem conscriptum esse, ut quidem Agesilaum, qui Xenophontis nomine circumfertur, ab homine Hellenicis abutenti confectum esse scimus. Itaque cum auctor huius libelli persimilis Xenophonti inveniatur, aut duos eodem fere tempore scriptores omnibus in rebus sibi perquam similes vixisse, aut Xenophontem libellum scripsisse statuendum erit. Sed revocetur ad formulas quarum modo mentionem feci oratio.

Quod c. I. 1 legimus: *ἐπεὶ δὲ . . . . ἐκ τούτου* imprimis Xenophon libenter adhibet. Cyr. I. 1. 3. II. 3. 2. IV. 4. 2. V. 3. 13. VI. 2. 24. Hell. III. 1. 6; 5. 21 sq. IV. 3. 13; 3. 22; 4. 4. V. 1. 35. VI. 1. 1; 5. 5. An. V. 2. 2. VII. 6. 13. Conv. IX. 5. et passim.

I. § 2: *ὅπως δὲ γνωσθῇ ὅτι ἀληθὲς τοῦτο λέγω πρῶτον διηγήσομαι (τὴν φύσιν), . . .* Tum IV. 1: *βούλομαι δὲ καὶ τοῖς μὴ εἰδόσιν . . . . . δηλῶσαι*; porro

§ 13 ἵνα δὲ καὶ σαφέστερον εἴπω νῦν διηγήσομαι ὡς .... Cf. Cyr. I. 2. 15 et 6. 22. Possim si opus sit permulta huiusmodi exempla adferre, sed ad finem cupio pervenire. Saepissime vero Xenophon formulas adhibet quales occurrunt c. IV. 10: εἰ δέ τις φήσειε .... τοῦτο οὐκ ἀντιλέγω (cf. Comm. I. 2. 17. IV. 3. 13. Hell. III. 3. 18) § 22: εἰ δ' αὖ τις τοῦτ' ἐνθυμεῖται ὡς ..... ἐκεῖνο κατανοήσας θαρρείτω et 34: εἰ δέ τινες λογιζόμενοι .... ἡγοῦνται μηδ' οὕτως ἀθυμούντων et 40: εἰ δ' αὖ νομίζετε ....., ὑμεῖς δὲ .... διοικεῖτε (cf. § 41). V. 5: εἰ δὲ βουλόμενοί τινες ..... ἡγοῦνται ...... ἐννοησάτωσαν. Paullo aliter IV. 39: ὃ δὲ φοβερώτατον δοκεῖ πᾶσιν εἶναι μὴ .... καὶ τούτου φόβου ἀπηλλαγμένοι ἂν εἴημεν εἰ .... Quicunque Xenophontem legit profecto in unaquaque pagina haec et talia saepe inveniet. Tum enunciata comparativa libenter adhibet verbis usus ᾗ vel ᾗπερ ... ταύτῃ (cf. IV. 40) et saepius etiam ὅσῳ — τοσούτῳ cf. I. 6. III. 5. IV. 6; 32. Porro quaestiones amantissime usurpat. cf. IV. 19; 21; 28; 42; 45 sq. 48. V. 2 sqq. 6 sq. 13; VI. 1. Omnino cum stilo huius libelli conferas velim Hell. III. 5. 10.

His et talibus dictio Xenophontis sicca ieiunaque efficitur, ita ut rem non nimis exaggeraverit Nicolaius (Hist. Gr. Litt. I. 129), cum diceret quamquam Quintilianus recte iudicasset in labris Xenophontis sedisse quandam persuadendi deam, tamen animadvertenda esse haec: „eine gewisse magerkeit des stils, eintönigkeit der darstellung, mangel an künstlerischer form.“ Quae omnia in libellum quem Xenophonti studeo vindicare cadunt.

Cap. III.

Constructiones vero quasdam quas hoc opusculum cum Xenophontis scriptis communes habet ne nimis putidus videar sciens praetereo. Nil dicam de *ἔστιν ἃς* (III. 11) et *ἔστιν ὅτε* (III. 4) *τινας* et *ἐνίοτε* significantibus (cf. Sauppe append. ad Xen. scr. min. p. 55 sqq.), nil de participio *ὢν* ad verba *διατελεῖν, τυγχάνειν, ἀναφαίνεσθαι* non adiecto (V. 2) (Saupp. ind. Xen. p. 40), nihil de usitata *ὁτιοῦν* pronominis ellipsi (IV. 40), nihil de verbis compositis *οὐδὲν ἀλλ' ἢ* (III, 6), nihil de particula *δὲ* in apodosi addita (IV. 40), nihil de verbo *οἶμαι* extra verborum structuram saepissime a Xenophonte posito (IV. 4; 15), nihil de celeberrima constructione infinitivorum cum *τὸ* coniunctorum (I. 1; 3; II. 2; 4. IV. 6; 14; 21; 31; 36; 40), nihil de *καὶ* particula pronominibus vel adverbiis interrogativis (Latinorum „tandem“ respondenti) persaepe a Xenophonte addita (IV. 21; 46; 48). Taceo de *ἐκεῖνο* pronomine pro *τόδε* (vel *τοῦτο*) imprimis a Xenophonte usurpato (III. 8; IV. 10; 22; 25), de coniunctione verborum *οὐδενὸς ἧττον* pro *ἁπάντων μᾶλλον* quae frequentissima apud Xenophontem est (I. 1), de infinitivis ab adiectivis pendentibns, id quod nemo libentius quam Xenophon adhibet (III. 1; IV. 40; V. 1), haec omnia inquam sciens omitto; satis habeo de paucis aliis rebus explicatius dicere.

Genetivi absoluti qui vocatur subiecto carentis haud ita multa adferri possunt exempla; saepius vero ita Xenophon loquitur. Cf. Cyr. I. 4. 18. III. 2. 25; 3. 54.

V. 2. 13. VI. 2. 19. Hell. I. 1. 29. V. 3. 27; 5. 26. An. I. 2. 17 (v. Kuehner). Oec. XX. 20. Hipp. II. 7. R. eq. VIII. 8. R. L. V. 4. XI. 4. XIII. 11. Ita in hoc libello IV. 17: *περαινομένων γε μὴν ὧν λέγω* et 51: *πραχθέντων γε μὴν ὧν εἴρηκα* VI. 3: *σὺν γὰρ θεῷ πραττομένων εἰκὸς τὰς* . . . .

Particulis *καὶ ταῦτα* coniunctis, quae III. 10 occurrunt *καὶ τ. ἐν πόλει* et III. 8 *κ. τ. γενόμενα* (si quidem Schneideri coniectura vera est), non omnes pariter utuntur. Vitat omnino Lysias (Frohb. ad or. XIV. 30 et XXX. 22), saepius adhibet Demosthenes et Plato et Isocrates (cf. Herm.Vig. p. 176. Matth. Gr. Gr. § 470. 6). Plerumque *καὶ οὗτος* ita usurpatur; sin vero *καὶ ταῦτα,* fere participium aliquod sequitur (Schneid. ad. Isoc. V. 139). Apud Xenophontem exempla non rara sunt. Cf. An. (v. Kuehner) I. 4. 12. II. 3. 9; 4. 15. VI. 2. 10. VII. 1. 29. Cyr. I. 6. 45. II. 2. 12; 16; V. 3. 30. Oec. II. 5. III. 4. VIII. 23. XI. 3. XX. 8; tum sine participio: Hell. V. 4. 22. An. VII. 6. 35. Comm. III. 7. 2. Tum Xenophonti proprium est, quod in sententiis generalibus quas vocant pro usitato singulari pron. *τις* pluralem praefert. I. 6: *ὅσῳ γὰρ ἄν τινες* . . . . . IV. 34: *εἰ δέ τινες λογιζόμενοι*; tum 41. V. 2 et 5. Cf. Hell. I. 7. 6. IV. 8. 4. VI. 4. 27. VII. 5. 3. Comm. III. 10. 4. Cyr. IV. 2. 32.

Cum Isocrate ut alia sic hoc Xenophon commune habet, quod (Sauppe append. p. 56) plurales formas substantivorum quorundam, quas cum „abstracta“ sint alii vitant, saepe usurpat. Cf. I. 6: *ψύχεσιν ἢ θάλπεσιν;* quod quidem saepissime apud Xenophontem oc-

currit. Porro II. 2 *ἀτιμίας*. III. 6 *ἐπιμελείας*. IV. 6 *αἱ γεωργίαι* et 9 *ἀφορίαι*. Pluralem vero pron. person. pers. I. de se ipsis non omnes adhibent. Vitat Lysias (Frohb. ad XII. 100), vitat Demosthenes (Westerm. ad IV. 30); Isocrates non respuit (Schneid. ad Paneg. § 14); Xenophon in Cyr. initio ita persaepe, praeterea Oec. I. 11; II. 1 (et 15), paene ubique in libro de re equ. Cf. vect. IV. 18: *λέγομεν*. V. 3: *ἀρξάμενοι*. Porro Xenophontem particulas adversativas amanter (cf. Philol. XVIII. 652 sqq.) usurpare nemo est qui nesciat; imprimis *ἀλλά γε, ἀλλὰ μὴν, ἀλλά γε μὴν, ἀλλὰ μήν γε, γε μὴν, καὶ μὴν, καὶ μήν γε, μέντοι*. Cf. Buechsensch. ad Hell. III. 1. 7; Kuehn. ad An. I. 8. 20; 9. 16 et 18. VII. 6. 14. Eaedem particulae saepissime in hoc libello occurrunt. *ἀτὰρ* particula etsi non solis poetis concessa est tamen apud scriptores orationis pedestris rara; at Xenophon eam saepe adhibet. v. Cyr. I. 6. 9. II. 1. 3. VII. 2. 10. Hell. V. 3. 7. An. IV. 6. 14. VII. 7. 10. Comm. III. 1. 5; 6. 11. Oec. XVII. 15. XVIII. 1. XXI. 1. Ita vect. IV. 16. Porro Xenophon saepe particulas *μὲν γὰρ δήπου* coniungit. cf. III. 1. IV. 14. 30. 43. 46. V. 2.

ἔτι quod occurrit I. 8. IV. 5; 38. V. 6 et *καὶ δὲ* I. 6; 7. III. 12. IV. 4 saepissime Xenophon res novas additurus usurpat. *οὐκοῦν* vero particulam (I. 3. IV. 2; 18; 21; V. 7) et *γοῦν* (I. 3; 5. IV. 2; 12; 19) et *αὖ* (I. 6. IV. 9. 13; 22; 40 sq. 49. V. 11. VI. 3) apud neminem saepius quam apud Xenophontem invenias.

Cap. IV.

Loquar nunc de vocabulis eis quae ut Xenophontem ita auctorem huius opusculi amantem inveni. Quamobrem singula libelli capita ex ordine percurramus. Omitto vero, ne longus sim, quod verba *θαρρεῖν, ἀθυμεῖν, ἀθυμία, προθύμως, ἀσφάλεια, ἀσφαλής, θεῖος, ἄφθονος, ἀμφίλογος, ἀφορμή, ἀθροίζεσθαι, κατανοεῖν, αἰσθάνεσθαι, ἀποδεικνύειν (υσθαι), μαρτυρεῖν, εὐδαίμων* (de urbibus dictum), *κερδάλεος, ἡδύς, προςφιλής, μέλει μοι* alia et Xenophon amantissime usurpat et hoc in libello saepius reperiuntur. Sed res gravioris momenti attingam.

C. I. 1: *ἐπεχείρησα σκοπεῖν* (cf. § 2 et V. 12) significans „diligenter considerare et inquirere" cum Comm. II. 6. 1: *πῶς ἂν ἐπιχειροίημεν σκοπεῖν* comparari potest. Deinde *τῇ πενίᾳ . . . . . ἐπικεκουρῆσθαι*; cf. Cyr. I. 6. 24 *συνεπικουρεῖν ταῖς ἀπορίαις*. R. L. II. 7 *τῷ λιμῷ ἐπικουροῦντας*. X. 2 *τὸ ἐπικουρῆσαι τῷ γήρᾳ*.

§ 4: *Οὐ μόνον δὲ κρατεῖ τοῖς . . .* cf. Cyr. VIII. 2. 7 *τοῖς ἄλλοις πολὺ ἐκράτει*. Tum *ἀΐδια ἀγαθὰ ἔχει ἡ χώρα . . . κάλλιστοι βωμοὶ γίγνονται, εὐπρεπέστατα δὲ θεοῖς ἀγάλματα* cf. Oec. V. 3 *ἡ γῆ φέρει . . . . ὅσοις κοσμοῦσι βωμοὺς καὶ ἀγάλματα*. Et vect. II. 7: *τιμή τις ἔπεστι* ut Cyr. VI. 2. 33 *ἔπεστι γάρ τις αἰσχύνη*; similiter R. L. X. 7 *ἐπέθηκεν . . . . . ἀνάγκην* et IX. 6 *ἀτιμίας ἐπικειμένης*. Porro *ὡς τὸ εἰκός*; quamquam saepius *ὡς εἰκὸς* invenitur, tamen illud occurrit Cyr. I. 2. 11. An. III. 1. 21. Hipp. II. 5. VII. 7. VIII. 24. R. eq. VIII. 12. R. L. XIII. 5.

c. III. 3 verba *ἆθλα προτιθέναι ὅστις* saepissime a Xenophonte componuntur. cf. Hell. III. 4. 16. IV. 2. 5. Cyr. I. 6. 18. Hipp. I. 26. Hier. IX. 7 et 6.

c. III. 4. *ἔστιν ὅτε ἐπὶ ξένια καλεῖσθαι* cf. An. VII. 6. 3. Hell. VI. 4. 20 et passim. Tum *ταῦτα τιμώμενοι* v. An. I. 3. 3. Cyr. VII. 3. 12.

c. IV. 1. *πάμπολλα χρήματα* et 34 *παμπόλλης ἀφορμῆς;* porro I. 1 *παμφορώτατος,* II. 3 *παντοδαπὰ* (v. V. 12), IV. 7 *παμπληθὲς* denique *πάνυ* adverbium adiectivis et adverbiis additum (IV. 2; 14. V. 12) ubique apud Xenophontem obviam sunt. v. Oec. II. 8; 10; 14; 17 sq.

c. IV. 2. *ἐνεργὸς,* ut Oec. IV. 8 sq. 17. Cyr. III. 2. 2 et 19. IV. 1. 16. V. 4. 25. VIII. 6. 16. Hell. IV. 1. 1 et passim de terra.

Ibid. § 17 *περαινομένων γε μὴν ὢν . . .* § 38 *περαίνοντες,* § 39 *εἰ δὲ τὰ μὲν περαίνοιτο, τὰ δὲ μέλλοι* cf. An. III. 1. 47 *ὡς μὴ μέλλοιτο ἀλλὰ περαίνοιτο τὰ δέοντα;* ib. 2. 32 (bis). Hell. II. 4. 39. III. 2, 19. IV. 8. 6. VI. 1. 19; 2. 30. Cyr. III. 1. 31. IV. 5. 38. V. 2. 24; 3. 50. VI. 1. 20. Oec. XI. 8. Hier. IX. 5 et 9. Hipp. I. 9. IX. 2. Alii hoc vocabulum raro adhibent, alii omnino vitant, ut Lysias (or. XIX. 8 quae num genuina sit ambigitur), Xenophon (Saupp. lex. Xen. p. 103) amat: composita etiam interdum usurpat; *ἐκπεραίνειν* An. V. 1. 13. *διαπεραίνειν* Hipp. IV. 3. *διεκπεραίνειν* Oec. VI. I.

c. IV. 21. *μέχρι μὲν τοῦδε,* ut Cyr. VI. 1. 11. VII. 5. 42. Hier. I. 7. Oec. XI. 13.

§ 22: *τῷ σώματι . . . . . οὐκ ἐργάζεσθαι, τῇ δὲ*

γνώμῃ ἐπιμελούμενοι τὰ ἐπιτήδεια . . . . πορίζοιντο; cf. Comm. II. 8. 1—3. Hipp. IV. 19. Oec. VI. 8 et XI. 8. Cyr. I. 6. 5 et Oec. IV. 2 sq. Tum § 23: *μεῖον* pro *ἔλαττον* quod saepissime Xenophon adhibet. Porro § 25: *ὅσον τὸ τέλος εὕρισκε τῶν ἀνδραπόδων* et 40: *ὅσα χρήματα εὕρισκε τὰ τέλη*. Haec quae apud alios vix reperias de pretio rerum venditarum praebet Xenophon Comm. II. 5. 5. Hell. III. 4. 24. Oec. II. 3.

§ 30: *ἔχειν μοι δοκῶ συμβουλεῦσαι* et V. 1: *εἰ δὲ σαφὲς δοκεῖ εἶναι* urbane dictum est, ut Xenophon passim cf. Cyr. I. 1. 1; 2; 6. II. 1. 21. III. I. 28. V. 3. 8. VIII. 1. 40; 7. 2. Oec. VI. 11; 16. VIII. 11; 23. XI. 1; 8. XII. 19. XV. 5. XVI. 9. Hier. I. 4; 10 et ubi non?

§ 35: *ἢ μηδὲν ὄφελος αὐτῶν εἶναι* cf. Cyr. I. 6. 14 et 18. VII. 5. 80. Hell. I. 1. 35. VI. 2. 23. Comm. I. 2. 52. III. 3. 48. Oec. IV. 15. IX. 14. XII. 5. XIII. 2. XIV. 2. XV. 2. R. Eq. I. 2 (bis). Hipp. I. 7.

Tum *ἐν ὠφελείᾳ ἔσται*. v. Cyr. VIII. 5. 15. Porro similiter ut § 43 sqq. loquitur Xenophon Cyr. V. 4. 44 sqq. et Hipp. IV. 15 sqq.

§ 44: *βραχὺ* c. inf., ut Cyr. V. 4. 47; et *εἰς τὸ ἀσφαλὲς ἀποχωρῆσαι* ut Hipp. IV. 16 et 18. VI. 2. VII. 6 et al.

§ 45: *τί ἂν μᾶλλον ἢ λίθοις ἔχοιεν χρῆσθαι*; cf. Oec. I. 10 et 12.

§ 47: *ἐντεῦθέν ποθεν*; cf. Cyr. I. 6. 43: *ἄλλοθέν ποθεν*; idem IV. 5. 56; cf. Hipp. IV. 16 et VIII. 15.

§ 48: *μετιόντων σῖτον* ut Hell. II. 1. 25 *μετιόντες τὰ ἐπιτήδεια*. Tum *πολιορκοῖντ' ἂν μᾶλλον ἢ πολιορ-*

κοῖεν; cf. ad Hell. IV. 7. 1 Buechsenschuetz. et VII. 2. 7; significat cingendo premere, urgere.

§ 50: *ἰσχυρῶς*, idem § 8; cuius adverbii ut apud alios rarior usus est ita apud Xenophontem frequentissimus; cf. Hier. I. 33. R. L. III. 4. Oec. IV. 4 sq. IX. 1. XI. 10. XII. 2. XIII. 1 et passim in omnibus Xenophontis scriptis.

§ 51: *χρήμασιν εὐπορωτέραν τὴν πόλιν εἶναι, ἀλλὰ καὶ εὐπειθεστέραν καὶ εὐτακτοτέραν καὶ εὐπολεμωτέραν γενέσθαι.* cf. Comm. III. 5. 5: *εὐπειθεστέρους καὶ εὐτακτοτέρους ποιεῖ.* IV. 6. 14. An. III. 2. 30. Hipp. I. 24. Hell. III. 1. 28.

c. V. 1. *εἰ . . . εἰρήνην δεῖ ὑπάρχειν, ... οὐκ ἄξιον εἰρηνοφύλακας καθιστάναι* Xenophontem prodit; cf. Oec. IX. 14 sq.

V. 3: *ἀρξάμενοι*; cf. Cyr. I. 2. 16; 6. 8. VII. 5. 65. An. VII. 1. 22. Hier. I. 10 (bis). Cyn. XII. 8.

V. 4. *ἀξιοθέατος*, quo vocabulo ut Herodotus saepe ita Xenophon utitur; cf. R. Eq. XI. 10; 12. Hier. I. 11. Hipp. III. 1. R. L. IV. 2. Oec. III. 4. VIII. 3; 38. Conv. I. 10. Cyr. VI. 4. 44 et ubique. Omnino lubenter Xenophon vocabula cum *ἀξι* composita adhibet. Hic praeter *ἀξιοθέατος* habes etiam *ἀξιάκουστος*. Iam verba videndi et audiendi saepissime coniungit Xenophon: cf. IV. 10. An. III. 1. 27. Cyr. I. 6. 15; 7. 5. Oec. III. 9; 13. VIII. 3. XI. 20. XV. 10. Comm. I. 4. 18.

Vect. V. 8: *παραπεπτωκέναι μοι δοκεῖ . . . .* Cyr. I. 2. 10: *ὅπου ἂν παραπίπτῃ*; Hipp. VII. 4: *ὁπότε καιρὸς παραπέσοι.* R. Eq. VI. 16: *ἀλλοῖος ἵππος παραπίπτει.* Xenophontem supra dixi idem significantia aspernari;

sed quod hac in § legimus *ἄνευ πόνων καὶ ἄνευ κινδύνων* saepissime coniungit. Cyr. I. 2. 1; IV. 2. 1: V. 5. 18.

V. 9: *οὐδὲν ἂν οἶμαι θαυμαστὸν εἶναι.* cf. An. IV. 8. 11: *οὐδὲν ἂν εἴη θαυμαστὸν*; I. 9. 24. Hell. IV. 8. 11. Cyr. VII. 5. 25. I. 6. 46. VIII. 2. 4; 13 sq. 4. 6 et saepe. R. Eq. 6. 11. Hier. I. 6. Conv. VIII. 22 et alibi.

c. VI. 3. *συναινοῖεν.* Attici praeferunt, ni fallor, *συνεπαινεῖν.* Sed Xen. Cyr. IV. 2. 47. *συνῄνουν.* 3. 23: *συνῄνεσαν.* 4. 9: *συνῄνουν.* cf. V. 3. 22; 4. 27. VII. 2. 14. VIII. 5. 20. An. VII. 3. 36; 7. 31 et saepius.

Praeterea: *σὺν τῷ θεῷ πράττειν* et *ἄρχεσθαι τοῦ ἔργου ἀπὸ θεῶν*: cf. Cyr. I. 5. 6; 14. An. VI. 3. 18. Oec. V. 20. Hipp. V. 14. VI. 1. VII. 3. IX. 8 et ubi non? Denique *ἐπὶ τὸ βέλτιον* cf. An. VII. 8. 4. R. L. IV ex.

Cap. V.

Haec quae congessi — et plura addi possunt — si ad rationem vocamus libellum a Xenophonte scriptum esse efficitur. Aequalis, si omnino in tali argumento alium plane imitari suscepisset, profecto ad Xenophontis similitudinem tam prope ne potuisset quidem accedere neque illius imaginem tam perfecte exprimere. Accedit quod voces poeticas neque Xenophon aspernatur neque auctor huius libelli. Sauppius qui haec et talia in lex. Xen. et in edit. Xen. scr. min. p. 298 enumeravit, quamquam singulis in rebus non satis accurate egisse mihi videtur, tamen in universum quos effecit numeris confidere possumus.

Xenophon igitur cum tot annos exsulasset paullulum ab Atticismo declinavit usurpatque interdum quae Atheniensium oratores vitassent et cotidianum sermonem secutus et ea adhibens quae saepe in Asia et Peloponneso audiverat et apud Homerum Hesiodum Herodotum alios legerat.

Mihi multa ex iis vocabulis quae Sauppius inter poetica et Ionica et a consuetudine bonorum scriptorum recedentia et Xenophonti cum serioribus communia enumerat sermoni cotidiano tribuenda videntur esse. Elegantia igitur scriptorum Atticorum imprimis oratorum apud Xenophontem saepius desideratur. Quae si in hoc quoque libello desiderabitur, Eubulum auctorem esse concedamus?

Reperimus vero in c. IV. 17: *πρόςοδον ἀέναον.* Occurrit apud Pind. Pyth. VI. 5, porro apud Theocritum, Simonidem, Hesiodum (op. 597; 739); tum apud Herodotum (I. 145: *ποταμὸς αἰείναος*). Idem vocabulum Xenophon usurpat Hell. III. 2. 19: *λίμνη ἀ.* Cyn. VI. 5. *χειμάρρους ἀ;* nec tantum de aquis dicitur. cf. Cyr. IV. 2. 44: *ἀεναώτερον ὄλβον,* id quod Pseud. Xen. Ages. I. 20 fortasse imitatus est.

Poetice dictum est c. III. 1: *πυκνοτέραν τὴν πόλιν εἰςαφικνεῖσθαι,* nisi emendatione potius opus est (cf. Schneid. ad h. l. et Lange l. l. Thes. I. p. 55). Si hoc Xenophonti fortasse concedendum est, etiam Anonymo illi talia concedenda esse existimemus? Vocabulum illud ipsum Xenophon saepissime usurpat (Hipp. V. 6).

Iam c. VI. 2: *εἰ λῷον καὶ ἄμεινον ἂν εἴη* et § 3 *ἐπὶ τὸ λῷον καὶ ἄμεινον* Xenophontis proprium est; fortasse

hoc sumpsit, ut quidem G. Heilandus statuit, ex Odyss. I. 376 (= II. 141). Thucydides simpliciter I. 118: *εἰ πολεμοῦσιν ἄμεινον ἔσται.* Apud Xenophontem saepius hoc modo: An. III. 1. 7. VI. 2. 15. VII. 6. 44. R. Lac. VIII. 5.

Praeterea in libello insunt nonnulla composita vocabula quae potius poetis aut cotidiano sermoni concedenda videntur; Xenophon talia non aspernatur: V. 3 *ἡδύοινος* (v. An. VI. 4. 6); IV. 51 *εὐπόλεμος* (Oec. IV. 3) et alia cum *δυς* et *ευ* et *πολυ* et *φιλο* composita, praecipue in c. V. 3. Huc refero, quocum *ὀλιγοχρόνιος* Cyr. IV. 2. 44 conferrre possumus, *πολυχρονιώτατον* c. III. 10.

Inter Ionica Sauppius (lex. Xen. p. 28) quod legimus c. IV. 28 *δαπανᾶν ἀμφί τι* enumerat. cf. An. I. 1. 8; *περὶ* vero additur Hell. VI. 5. 5. Alii *εἰς* adhibent.

Tum *τόσῳ* (pro *τοσούτῳ*) Attici fugiunt; Xenophon Iones secutus non respuit. v. Cyr. I. 6. 26. VII. 5. 6. Ita vect. IV. 23.

Porro constat verbi quod est *δίδωμι* (ut *ἵημι* et *τίθημι*) aor. act. formam plur. pers. III. usque ad tempora Alexandri adhibitam esse *ἔδοσαν*, postea demum *ἔδωκαν*. Lysias nunquam *ἔδωκαν* adhibet praeter (v. Frohb.) or. XIX. § 7 quae quidem a multis addubitatur; mihi videtur illa oratio a posteriore grammatico tractata et contracta esse. Ac ne Demosthenes quidem eas formas, sed iam Hyperides (Or. fun. VII. 34 et VIII. 43 a. 322 habita) usurpat et (Dinarchus) c. Dem. §. 57 (bis *ἀφήκατε*), etsi or. II. 24 *ἀνέθεσαν* et III. 14 *παρέδοσαν.* Lycurgus antiquas formas praetulit: cf. Leocr. § 85 et 87; § 80 autem et § 25 varia lectio est. Ceterum

Antiphon V. 77: *ἐδώκατε;* similiter Thucydides VII. 19 et Isaeus V. 1 et 38. Fortasse antiquissimis temporibus hae formae Atticis concedebantur. Antiphon quidem talia saepius; cf. Tetr. A. a. 3 *οἴδαμεν* (cf. praeterea Blass. eloq. Attic.). Confusae dialecti aut prisca tempora aut recentia indicant. Praeter haec exempla obvia sunt et apud Herodotum et apud poetas et apud Xenophontem qui Asiae magnam partem peragrans diuque procul patria habitans quid bonis Atticis scriptoribus concederetur, paullatim dediscebat. Itaque si Xenophontem ut auctorem libelli agnoscimus non mirum quod legimus V. 7 *ἔδωκαν* pro usitata eo tempore forma (et ab Eubulo et ab eius amicis) *ἔδοσαν.* Xenophon quidem usurpat talia An. III. 2. 5. V. 5. 14. VII. 7. 10 et 37. Comm. I. 1. 19; 4. 11. IV. 2. 15. Hell. I. 2. 10 et 18. IV. 4. 15.

Forma vero imperat. plur. pers. III lis est desieritne antiquioribus temporibus (cf. Class. Thuc. I. 34. 1. Krueg. stud. 2. 42. Heiland. qu. Xen. 11) in *ἐτωσαν* (quod equidem non addubitaverim) an ad Macedonicam aetatem (v. Cob. N. L. 327 sq. et 774. Dind. An. I. 4. 8 et praef. p. XVI. H. Gr. p. XVIII) releganda sit (cf. Lyc. Leocr. § 63: *ἐάτωσαν,* a. fere 330 habita). Eo sane tempore, quo libellus scriptus est, Attici longiores formas aspernabantur. Sin vero hoc in libello talia occurrunt, Eubulo ea tribuamus an ei potius qui inde ab a. 401 procul Athenis fuit assuetusque antiquioribus formis eas adhibere perseverabat? In libello quidem qui Cynegeticus inscribitur quem adulescens Xenophon scripsisse videtur longiorum formarum multa exempla

(Saupp. lex. Xen. p. 67) exstant. In vect. occurrit ἐννοησάτωσαν: V. 5 et (fortasse) IV. 41.

Iam pauca mihi liceat in hac parte disputationis de χῶροι vocabulo quod in c. IV. 50 praebetur disserere. Est enim ex numero eorum quibus aut apud poetas aut apud Iones alia notio subiecta est atque apud Atticos, quaeque etsi operae pretium est tamen a viris doctis nondum omnia collecta sunt. Quo ex genere est ὑποκρίνομαι quod apud Atticos simulare (de histrionibus) significat, apud Iones eodem tempore id quod Atticorum ἀποκρίνομαι: respondere. Ita vox quae est χῶρος apud Iones (et poetas et recentiores) praedium saepe significat, praesertim ἄστυ voce opposita. Hoc Xenophon imitatur; cf. Oec. V. 4: ἐν τῷ χώρῳ καὶ ἐν τῷ ἄστει (cf. § 6) et 9; 11; 18. Imitatur hoc auctor libelli c. IV. 50: καὶ οἵ γε χῶροι .... ἢ τοῖς περὶ ἄστυ.

Cap. VI.

At permulta in vect. invenimus quae alibi apud Xenophontem non leguntur vocabula. Sed cum in Hellenicis 472, in Anab. 433, in Cyrop. 614, cum in Comm. 344, in Oecon. 227, in Cyneg. 266, in Conv. 133, cum in Rep. Lac. 71, in lib. de re equ. 162, in Hipp. 64, in Hier. 43 Sauppius huiusmodi vocabula invenisse se dixerit, etsi his numeris non nimis confidere debemus, quid mirum, quod hoc in libello si quidem Xenophontis est talia non desunt?

In c. I. 5 παροικεῖν de urbibus; οἰκεῖν (ad Hell. VII. 1. 3. IV. 8. 26) saepissime ita Xenophon; cf. περιοικεῖν

An.V. 6. 16. Tum vect. I. 8: *προςοικοῦσι.* I. 6: *ἡ οἰκουμένη* orbem terrarum significans alibi apud Xenophontem non invenietur (Cyr. III. 3. 2 paullo aliter); sed Hyperides iam ita loquitur; or. fun. c. IV. 1 et IX. 5. (Din.) c. Dem. § 13. Deinde vect. I. 6: *τόρνος,* § 7: *περίρρυτος* (v. An. I. 2. 22: *ἐπίρρυτος*) et *ἀμφιθάλαττος.* Tum c. II. 1: *μετοίκιον, μετοικίας.* § 6: *οἰκόπεδον; ἐγκτᾶσθαι* (Hell. V. 2. 19: *ἔγκτησις*). Tum c. III. 1: *ὑποδοχή,* § 2: *ἀντιφορτίζεσθαι, ἀντεξάγειν.* cf. Hell. IV. 8. 25: *ἀντεκπέμπειν.* VII. 2. 12: *ἀντεξελθόντες.* Cyr. VI. 3. 13: *ἀντέξελθε.* IV. 1. 1: *ἀντεξῄει.* (Omnia semel dicta.)

Vect. III. 4: *προεδρία,* § 5: *εἰσοικίζειν,* § 11: *ἀναγραφὴ* (cf. Hipp. IV. 9: *προγραφή*), § 12: *πρᾶσις, ὠνή, καταγώγιον* (Cyr. VI. 1. 54: *ἀγώγιον* et Hell. III. 2. 11: *καταγωγή;* I. 6. 28: *ἀναγωγή.* An. VII. 6. 5: *ἀπαγωγή;* (omnia semel a Xenophonte dicta).

III. 13: *πωλητήριον.* IV. 2: *ἐκφορεῖν.* § 3: *συντέλλεσθαι.* § 6: *τοκισμός, καπηλεία* (v. Cyr. VI. 4. 42: *κάπηλος*). § 7: *προςωνεῖσθαι.* § 20: *ἔγγυος.* § 21: *φωρᾶν.* § 24: *ἀναπληροῦν.* § 27: *ἄτμητος.* § 40: *ἐφευρίσκειν.* § 44: *συνήκειν.* § 47: *ἐξερημοῦν.* § 49: *κάμινος.* § 52: *περιπολεῖν* ut § 47: *περιπόλων.*

c. V. 1. *εἰρηνοφύλακες:* composita in *φύλαξ* desinentia Xenophon amat. v. Hell. V. 4. 8: *εἱργμοφύλαξ.* III. 2. 5: *σκηνοφύλαξ.* VII. 2. 6: *ἡμεροφύλαξ* (semel dicta). Saepius adhibet *προφύλακες, ὀπισθοφύλακες,* (*ὀπισθοφυλακία, ὀπισθοφυλακεῖν*), *νυκτοφύλαξ* (*νυκτοφυλακεῖν*), *νομοφύλαξ, συμφύλαξ.* Itaque nihil admirationis habent *εἰρηνοφύλακες* nec II. 7: *μετοικοφύλακες* et *ὀρφανοφύλακες.*

V. 3: *πολύοινος, πολυπρόβατος*. § 6: *ὠμῶς*. § 11: *ἀνασκοπεῖν* (vel *ἐπανασκοπεῖν*) c. acc.; alii *περί τινος*.

At si quis concedit ab hac quidem parte nil esse cur non ad Xenophontem libellum referamus, sed quod nonnulla vocabula insint quae non solum apud Xenophontem non legantur sed ne apud alios quidem nisi apud recentiores, id quidem Xenophonti non tribuendum, primum quaero num id forte Eubulo concedendum videatur. Tum demum si quis Xenophonti libellum tribuit id mirari eum non debere contendo. Etenim ille sermonem cotidianum secutus saepissime talia usurpat, dummodo aetati suae conveniant. Cf. Saupp. Xen. scr. min. Hoc in libello huiusmodi vocabula occurrunt I. 3: *καρποφορεῖν* (cf. Cyr. IV. 5. 16: *κάρπωσις*. VI. 2. 22: *καρποφόρος*, An. VI. 1. 7: *καρπαία*. Conv. II. 35: *καρπογονία*). Tum vect. I. 8: *γειτονεύειν; εἰςορμίζεσθαι* in III. 1 et § 5: *τελεσφορεῖν*. c. V. 3: *πολύσιτος*. Oec. XX. 27: *φιλόσιτος* et Hell. V. 2. 18: *πολυσιτία*.

Denique a sermone cotidiano maxime repetendum videtur, quod apud Xenophontem quae alii omnino non adhibent multa leguntur vocabula. Cf. Saupp. l. l. Ne huius quidem generis exempla hoc in libello desunt; cf. II. 7: *ὀρφανοφύλαξ, μετοικοφύλαξ*. IV. 3: *ἀργυρώδης* et 39: *ὑπεργεμίζειν*, quod Xenophonti potissimum dandum videtur cum permultis ille vocabulis cum praepositione *ὑπὲρ* compositis utatur.

Haec omnia apud animum meum reputans ad Xenophontem potius ut auctorem libellum referendum iudico quam ad Eubulum aut ad Anonymum aut ad nepotem Xenophontis, id quod Beckhausius (Comment. de Ages.

p. 73 sq.) opinatur animos, ut videtur, despondens; et spero hac disputatione, qua libellum a. 355 paullo post finem belli socialis confectum a Xenophonte esse ostendere conatus sum, me aliquid contulisse ad tollendum errorem, ad verum retegendum; idque pace E. Curtii, pace L. Dindorfii, pace H. Hagenii, pace Onckenii dictum volo.

VITA.

Theodorus Gleiniger natus sum Meseriti in urbe Posnaniae d. XI. Ian. m. a. h. s. LI patre Roberto, qui nuperrime mihi praematura morte ereptus est, matre Theodora e gente Hermanniana anno ante mortua. Fidem profiteor evangelicam. Novem annos natus cum primis literarum elementis imbutus essem opera potissimum Meyeri magistri optimi in scholam realem quae vocatur H. Loewio directore me contuli; quae ubi in gymnasium transformata est id quattuor per annos frequentavi; ubi a quibus institutus sum cum omnibus tum Hermanno Polte, qui tunc director erat, nunc consultor scholarum regius, et Ioanni Richter, qui adhuc studiis meis amice ac benevole favet, obstrictum me esse profiteor. Deinde vere a. h. s. LXX maturitatis testimonio instructus inter cives universitatis Fridericae Guilelmae Berolinensis receptus sum; ubi per septies sex menses hos illustrissimos viros audivi: Curtium, Droysenium, Harmsium, Hauptium, Heydemannum, Huebnerum, Kiepertium, Kirchhoffium, Kleinertium, Maerckerum, Micheletium, Mommsenium, Muellenhoffium, Mullachium, Semischium, Schoellium, Trendelenburgium, Twestenium, Zellerium. Seminarii philologici per quinquies sex menses sodalis fui ordinarius; quo facilius ita profeci ut, cum nuper quaestionem philologicam (de πόροις) ex instituto urbano ab hac Academia propositam suscepissem, laude publica et praemio extraordinario dignus visus essem. Praeterea ad exercitationes Graecas Kirchhoffius, Muellenhoffius ad Theodiscas per ter sex menses aditum mihi benigne permiserunt. Quibus viris omnibus debitas hic gratias ago.

Sentententiae controversae.

I. Xenoph. Oec. X. 3 Schneiderum pro ἐπειρώμην scribentem πειρώμην probandum iudico.

II. In Hyper. Epit. VIII. v. 1 μαχομένους melius quam μαχόμενοι et v. 4 Ἑλλάδος melius quam πατρίδος est.

III. In Lys. Or. XXIV caussam invalidi Rauchenstenius non recte perspexit.

IV. In eiusd. or. § 15 πάνυ (ante πραόνως) ferri non potest.

V. Or. VIII recentiores nimis audacter ab Lysia abiudicant; contracta est ex or. aliqua quae huius oratoris fuisse potest.

VI. In or. I. inter verba § 13 et 14 ἥκων ἐξ ἀγροῦ et Ἐπειδὴ δὲ ἦν complura exciderunt (v. § 17).

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE (OTTO FRANCKE).
Marienstr. 10.